Arte e Offende

48430/A
£150

JACOBI SINIBALDI
ROMANI
PROTOMEDICI GENERALIS

ANIMADVERSIONES PRACTICÆ.

42599

JACOBI SINIBALDI ROMANI

PROTOMEDICI GENERALIS

Et in Romano Liceo Publici Medicinæ Lectoris

PARVA METHODUS MEDENDI,

SIVE

ANIMADVERSIONES PRACTICÆ.

ROMÆ, MDCCVII.
Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi.

SUPERIORUM PERMISSU.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Occaſio ſcribendi.

NOn mihi integram, & numeris omnibus abſolutam methodum deſcribere eſt animus, huic enim Galenus, aliique quamplurimi uberi calamo conſuluere; mens tantummodo eſt aliquos praxis medicæ advertere errores, in quos frequentiùs Medici inferioris notæ labi ſolent, ad quod equidem duplici moveor impulſu, altero meis diſcipulis mentem illuminandi, ut ſuprà triviales Medicos in praxi extollantur, altero, ad vulgi fallacias diluendas, quod falſis principiis allucinatum ſæpe Doctiorum operationes reprehendit, quià non intelligit, ex quo illud in dies renovatur abſurdum, quod Anacarſis Philoſopus Athenarum Urbi exprobavit. *Sapientes in concionibus cauſam dicere, ſtultos verò dijudicare.*

 Duæ

Duæ Vulgi ſpecies veræ ſcientiæ medicæ, & exindè Ægrotis etiam ſolent preju-dicare. Prima eſt Medicorum vulgarium, qui à doctioribus in eo diſtinguuntur quod genericas tantum ſcientiæ doctrinas, & aphoriſmos callent, ingenio tamen, ac ſcientià deſtituuntur diſtinguendi quandò à regulis generalibus eſt recedendum, vigore aliarum doctrinarum, & cognitionum ad caſum in terminis magis congruentium; uno verbo, ſciunt regulas, ignorant exceptiones; Regula eſt, E.G. generalis pleuritidi, & anginæ ſanguinem mittere, regula tamen interdum eſt magis præcipua, omiſſo ſanguine purgans pharmacum exhibere, Regula eſt generalis Prægnantibus, Hydropicis, Paraliticis, ſanguinem non tangere; non rari tamen in praxi caſus occurrunt in quibus optima methodus eſt ſanguinem mittere.

Altera Vulgi ſpecies, omnes omninò comprehendit, qui Medicinæ non ſunt profeſſores cujuſcumque ſint gradus, aut conditionis. Hi enim regulis quibuſdam generalibus à Medicis vulgaribus, & ipſi præjudicati redarguunt, unà cum illis Do-

ctio-

ctiorum methodum à communi recedentem, & eorum intelligentiæ ſuperiorem; Undè non raró contingit, Medicum ignarum, ſed optimæ loquelę, majorem apud Vulgus fidem elicere, quam Sapientem, eò quia medendi methodum ad Vulgi captum accomodat, aphoriſmis, ut ipſe, ſuperficie tenus imbutum, ſed artis ſubtilitatum pariter incapax; Quod ſanè Galenus ipſe adnotavit. (a) *Sanè aliqui ſunt, ut Hippocrates ait, qui ex eo quod ignorant non parum lucri faciunt.*

Nobilis quidam ex præcipuis Aulæ Romanæ lautâ abutens mensâ, & vitâ ſedentarià, ſtomaco indigeſto, & doloribus perpetuò laborabat. Medicus domeſticus genio illius obtemperans delicato, frequentibus Caſſiæ bolis, aliiſque ſimilibus nugis mederi ipſum conſueverat, abſque ullo tamen progreſſu, aut utilitate; Incidit fortè fortunà in alium Medicum majoris ſpheræ, & ex illis, qui Ægrotis juvare ſtudent non adulari, cujus diſcurſu, & ratione ſuaſus illius curationi ſe ſubiecit, abſque tamen Medico domeſtico; Is medicinam ex mel-

(a) *lib.* 11. *meth. cap.* 15.

le roſaceo cum ſenà, & Tartaro præſcripſit, qua operante Medicus accedens Magnatem invenit hilarem, & clamantem, *Vitam mihi Domine dediſti, lapidem ex ſtomacho removeri ſentii, jam optimè me habeo.* Hinc, altero exhibito, poſt octiduum conſimili medicamento perfectè convaluit. Sed audite hominum levitatem; quidam ejus Aulici Medico domeſtico benè affecti Domino exagerarunt novum illum Medicum medicinis uti nimis vehementibus, & ejus delicatæ complexioni nimis incongruis; Undè ille forſan timore percitus in aliis ſuis ægritudinibus alios vocavit Medicos non ſuum benefactorem: Quis, rogo, ſimilem non mirabitur cæcitatem? en ergò ratio, quarè Magnates, rarò, vel, nunquam à morbo gravi convaleſcunt à quo privatæ conditionis homines jugiter liberantur. Quia Ægroti genius delicatus, Conſanguineorum conſultationibus adſtantium cavillationes affectatæ, & Medicorum debilitas, aut nimis timidorum, aut nimis adulatorum, omnes opponuntur conſiliis, & reſolutionibus Medici alicujus experti, qui efficacius ageret, ſi ſolus ageret.

IN-

INDEX ANIMADVERSIONUM

PRIMÆ PARTIS.

ANIMADVERSIO I.
Circà mores. pag. 1.

ANIMADVERSIO II.
De victu ſanorum. 7.

ANIMADVERSIO III.
Circa uſum Medicamentorum. 12.

ANIMADVERSIO IV.
Circa peculiaria quædam medicamenta. 20.

ANIMADVERSIO V.
De Lacte. 28.

ANIMADVERSIO VI.
De Acidis. 30.

ANIMADVERSIO VII.
De phlebotomia in genere. 32.

ANI-

ANIMADVERSIO VIII.
De peculiaribus quibuſdam locis ſanguinem mittendi. 38.

ANIMADVERSIO IX.
De Stuphis, ac Sudatoriis. 50.

ANIMADVERSIO X.
De Veſſicantibus, & Fonticulis. 52.

ANIMADVERSIO XI.
De Paracenteſi. 57.

ANIMADVERSIO XII.
De Balneis. 61.

ANIMADVERSIO XIII.
De morbi naturà diſtinguendà. 66.

ANIMADVERSIO XIV.
De ſignis prognoſticis, & primo de facie, & decubitu. 69.

ANIMADVERSIO XV.
De prognoſi ab organis ſenſuum, & Præcordiorum. 72.

ANI-

ANIMADVERSIO XVI.
De Prognoſi ab actionibus. 77.

ANIMADVERSIO XVII.
De Prognoſi ab excretionibus. 84.

INDEX ANIMADVERSIONUM

SECUNDÆ PARTIS.

ANIMADVERSIO I.
Circa febres. 92.

ANIMADVERSIO II.
De quibuſdam febrium ſymptomatibus, & primo de ſiti, & linguæ ariditate. 101.

ANIMADVERSIO III.
De Somnolentia. 105.

ANIMADVERSIO IV.
De Parotidibus, ac Punticulis. 106.

ANI-

ANIMADVERSIO V.
De icteritià in febribus acutis. 109.

ANIMADVERSIO VI.
De Epilepſia. 113.

ANIMADVERSIO VII.
De Angina. 116.

ANIMADVERSIO VIII.
De Pleuritide. 120.

ANIMADVERSIO IX.
De Purgantibus in morbis pulmonum. 127.

ANIMADVERSIO X.
De Emophtiſi. 130.

ANIMADVERSIO XI.
De Phtyſi. 133.

ANIMADVERSIO XII.
De Lienteria, & affectione cęliaca. 136.

ANIMADVERSIO XIII.
De Dyſenteria. 140.

ANI-

ANIMADVERSIO XIV.
De Eryſipelate. 145.

ANIMADVERSIO XV.
De Scabie. 147.

ANIMADVERSIO XVI.
De Variolis. 148.

ANIMADVERSIO XVII.
De Cancro. 150.

ANIMADVERSIO XVIII.
De Aneuryſmate. 151.

ANIMADVERSIO IXX.
De Paraliſi. 155.

ANIMADVERSIO XX.
De Convulſione. 157.

ANIMADVERSIO XXI.
Quædam circa Mulieres. 165.

I M-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſgerens.

DE Mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici vidi Ego infraſcriptus Librum Doctiſſimi Viri D. Jacobi Sinibaldi Protomedici Generalis, cui titulus: *Parva Methodus Medendi, ſive Animadverſiones Practicæ*, quas, utpote diſcentibus, ac ſcientibus utiles, publica luce dignas arbitror, ex Ædibus Quirinal. 6. Id. Novembr. 1707.

Jo. Maria Lanciſius SS. D. N. Clem. XI. Archiater à Secretis.

IM-

IMPRIMATVR.

F. Paulinus Bernardinius Ordin. Prædicat. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

PARS

PARS PRIMA

Animadverſiones generales comprehendens

ANIMADVERSIO I.

Circà mores.

UT optima methodus exerceri poſſit, opus eſt, ut puto, antè Ægrotantium regimen, ſeipſum regere, & proprios mores; quandam ſcilicet uſualem politicam quâ, Medici affectatiotionis, adulationis, & avaritiæ non rarò redarguuntur.

Affectatio reſpicit verba, & operationes; Verba quidem quandò in viſitationibus, & conſultationibus gravi, ac turgidâ voce gręca, & latina vocabula ab aliquibus proferuntur; & enim verò, nonne riſum, ac nauſeam provocabit Etruſco idiomate proferre, *l'anacatarſi, la flebotomia, il Pediluvio*

l'emiſſario, *l'abdomine*, & centum alia ejuſmodi vocabula ad inſtar Pedagogi, *qui projcit ampullas, & ſeſquipedalia verba?* non advertendo Matronas, Patritios, alioſque inexpertos conſultationibus ſępe intereſſe, ad tales voces pertęſos, & oſcitantes; quid ergò mirum, ſi eorum geſticulationes derideantur non modò in domeſticis conventibus, ſed etiam in publicis theatris, ut noſtrâ ętate, non ſemel vidimus? Medicina, quę eſt ſcientia naturalis verba, & geſta exigit naturalia, libera, & intelligibilia, & ſicuti nimia taciturnitas Ægroto non ſatisfacit, qui per verba ſuaderi cupit, & conſolari, ità nimia loquacitas Agirtę propria eſt, ejuſdē contemptum pariens, non obedientiam, juxtà illud Senecę. *Loquax Medicus Ægrotanti eſt alter morbus*.

Ad elocutionis affectationem reduci etiam poteſt Medicorum quorundam habituale vitium, vocabula quędam deſponſandi, eaque in ſuis conſultationibus inter ſingula, vel bina verba permiſcendi, vel quià expeditâ carent elocutione, vel quià materię penuriâ laborant, & cogitantes interim quid dicant vacuam orationem talibus implent philacteriis. Eſt aliquis, qui ad omne ferè verbum miſcet *Signore*, alii *Signor sì*, alii *Verbi gratiâ*, *In concluſione come dico*, & ſimiles ineptias, quas omni ſtudio vitare oportet, ne ab ęſtimatione decidatis, cum ſit communis opinio, quod qui neſcit loqui, nec ſciat operari, juxtà illius Philoſophi dictum, *Loquere ut te videam*.

Eſt etiam affectatio in operibus, quę continet viſitationes, & ordinationes. Quo ad viſitationes,

cave-

cavete, ne per vias indirectas, quò vocati non eſtis, intrudamini, &, ſi de alicujus Magnatis, aut Conſanguinei mandato, ad Ægrotum acceditis, ut de illius ſtatu certiores reddantur, à mercede oblata abſtinete, nec ampliùs illuc redire liceat, niſi ab Ægroto rogati; Opus veſtrum non requirentibus, haùd offeratis, ut enim, Hippocrates (a) advertit. *Promptitudo temeraria, & facilitas contemnetur, etiamſi valdè commoda exiſtat*. Sunt etiam nonnulli, qui, ut majorem oſtentent diligentiam in morbo etiam leviſſimo ter, & quater in die redeunt ad Ægrotum, unde Medicus quidam Primarius cuidam ex iſtis Negocioſis, bene agis, inquit, notum enim eſt adagium. Qui cerebro caret crura adhibeat. Novi ex iis quendam Matronę Ancillam medentem, qui poſt diurnas viſitationes rediit paulò ante mediam noctem, & ad rotam pulſanti altera Ancilla reſpondit ſciſcitans quid vellet tali horà; veneram, inquit Medicus, ut viderem quomodo quietè dormiret Ægrota. Oh Homines ad ſervitutem paratos! Oh affectationem, quę non diligentis, ſed inſolentis nomen promeretur!

In ordinationibus adeo pernicioſa eſt eorum affectatio, ut pauperes nimiis expenſis gravare non erubeſcant ſingulis viſitationibus tres aut quatuor receptas relinquentes, ut magnum quid agere videantur, res ut plurimum inutiles, & ſoli utiles Pharmacopolę; equidem ignoro, quomodo ſalvà conſcientià aliquid pręſcribi poſſit extra indicationem, quę omnium ordinationum regula eſſe de-

(a) *Lib. de Medico*.

debet; immo in ipſis etiã indicationibus paupertati parcendum, &, ſi ſudor aut inſenſilis tranſpiratio eſt promovenda commodè, & forſan efficacius lapidi Bezoar, Cornu Cervi, aut ſtibium diaforeticum ſubſtitui poteſt, aut decoctum millij decorticati Martino Rulando uſuale in ſuis empiricis curationibus, ſi vires ac ſpiritus ſunt reſtaurandi, loco Julepii gemmati paucę aut nullius virtutis ut ſupra innuimus, utilius erit Reſtaurativum Zappatę, ut ſępe ego expertus ſum, quod recipit Saccari albiſſimi unciam unam, & ſemis, diſſolve in vaſe vitreo & in aquà comuni, ut digito ſuper emineat, adde Aquę vitę unciam unam, Aquę florum aurantium dracmam unam, miſce, & capiat coclearia duo pro vîce.

Adulatio ſępe concedit Infirmo Epuloni, aut Matronę delicatę victum, aut in quantitate excedentem, aut noxium in qualitate, aut tempore inopportunum, idque, ut illius gratiam ſibi comparet in concurſu alterius Medici magis rigoroſi: Nobilis quidam in dignitate conſtitutus, cujus ego Medicus eram ordinarius, valde valetudinarius, ſed omni victus genere intemperans, cum aliquando per aliquot dies ego ęgrotarem, alium vocavit Medicum, qui illi nimis indulgens fructus omnis generis nive gelidos, gelidaque ſorbilia concedebat, item cioccolatam, vina generoſa, piſces, oſtreas, uno verbo omnia, ex quo factum eſt, ut me impoſterum relicto, illum ſtipendio firmaverit; interrogatus à Conſanguineis cur me reliquerit, quia, inquit ſemper me reprehendit; nocuit autem alte-

alterius adulatio, quia vix anno elapſo, peripneumonià occubuit, Medico non intelligente, & ſecurum faciente.

Vidi etiam ex iis aliquos totum id pręſcribentes, quod optat, vel proponit Ægrotus, qui licet tunc temporis id gratum habeat, ſpernit poſtea Adulatorem ac deridet, ut non ſemel audivi. Fateor Medicum non talem debere eſſe ut nunquam ab eo quod propoſuit recedere velit, docuit enim Hippocrates in Aphoriſmis (b) *Condonandum eſt aliquid ętati, regioni, & conſuetudini*, & alibi. (c) *Paulo deterior potus, & cibus ſuavior tamen eſt pręferendus meliori, ſed inſuaviori*. Oportet legi comitem facere diſcretionem, & meminiſſe Hippocratici conſilii in epidemiis (d) *Ægrorantibus gratificationes*; ſummum enim jus eſt ſumma injuria, ſed in morbis gravibus, & acutis nullus rigor eſt omittendus, & illius obſervantia, & ab Ægroto, & ab Adſtantibus, abſque adulatione eſt exigenda.

Sed avaritia tandem vitium illud eſt, quod Medicos magis aſpernabiles reddit, & exoſos, cum ex iis nonnulli non erubeſcant in medio curationis Ægrum relinquere, quia deficit in honorario exhibendo, fortaſſe quia tunc, talis expenſa eſt illi incommoda. Non poſſum ſine maximà nauſeà reminiſci cujuſdam Medici gregarii pauperculam Virginem medentis, cujus Pater Lanionis erat famulus; hic quia prę morbi longitudine, & ſumma Ægrotantis pauperie, conſueto ſtipendio quandoque

(b) *Aphor*. 17. *ſect*. 1. (c) *Aphor*. 38. *ſect*. 2.
(d) 6. *Epid*. *ſect*. 4.

fuit deſtitutus, ęgrotam ſe relicturum Matri minatus eſt; precabatur illa ut commiſeraretur ejus paupertatem, cum nec carnem pro juſculo Ægrotę faciendo emere potuiſſet, at ille caput quaſſans, quid faciunt iſtę inaures? quid annulus in digito? vendite, & Medico ſatisfacite, quod ego audiens ab eadem, dimiſſo Tyranno curationem aſſumpſi. En quomodo hujuſmodi Avari, ſine honore, ſine ſynderesi, juramenti pręſtiti in doctoratu obliviſcuntur, Pauperes gratis curaturos, & pro vili lucro jugiter fiunt periuri.

Non ita barbarum, ſed magis ridiculum caſum à meis Majoribus audivi dum adhuc eſſem Diſcipulus. Quidam Hippocondriacus occurrens Medico per viam, & pulſum illi porrigens petiit obiter quoddam conſilium; Medicus pauca quędam reſpondens, juſſit illi mane ſequenti domi expectare, quia jejunum explorare neceſſe erat; Obediit Hippocondriacus, & Medico appoſitè venienti conſuetum dedit ſtipendium, at ille non contentus inſtavit. *Et incommodum externę diei?* quibus verbis duplicatum extorſit honorarium. Quid de illis Medicis dicam, aut quid non dicam qui proprium honorem ſordido lucro ſacrificantes, pulveres & bolos à ſe compoſitos tanquam arcana credulis ac deluſis Ægrotantibus iniquo pretio venundant? pudet me atque dolet doctoralis togę ac dignitatis dedecora jugiter intueri, paucorumque ignominiam mille Doctorum illuſtrium extimationi derogare.

Hęc eadem avaritia eſt in cauſa ut viſitationes

diu-

diutius quam par ſit prorogentur Ægroto jam convaleſcēti,& celebris eſt hiſtoria à Roderico de Caſtro relata his propemodùm verbis:(e) *Primarius quidam Vir è morbo convaleſcens templum adiit, Medicus qui ab eo pro ſingulis viſitationibus coronatum accipere ſolebat, domi eum non inveniens ad templum ſe confert, & magno ſupercilio ſine ejus permiſſione id factum affirmat; at ille coronatum porrigens; accipe, inquit toties vi extortum tributum, contra quod nec templum quidem mihi aſylum eſſe potuit*, *quo reſponſo Medici avaritiam caſtigavit*. Caveat ergo Medicus boni nominis cupidus, quando dietim honorarium illi porrigitur, opportuno tempore à viſitationibus abſtinendi ſponte ſua, antequam ab aliis dimittatur, atque hęc dicta ſint ſatis circa malos mores, qui pejoris methodi ſunt cauſe.

ANIMADVERSIO II.

De victu ſanorum.

Victus normam erga ſanos diverſam ab illà Infirmorum debere eſſe nemo non novit; expedit ergo expendere qualis victus ratio magis probari debeat, plurimum ne, an parum comedere.

Queſtionem reſolvere videtur Cornelius Celſus in eo Capite (f) *Qualiter ſanus ſe agere debeat*, ubi ait: *Nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, inter-*

(e) *Medic. Politic. lib.3. cap.15.*
(f) *Lib.1. cap.1.*

interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modo plus juſto, modo non amplius aſſumere, bis die potius, quam ſemel cibum capere, & ſemper quamplurimum, dummodo hunc concoquat.

Ejuſdem ſententię fuit Galenus ubi ſcripſit (g). *In ſanis itaque corporibus ſemper oportet robur ſervare virium, vel augere alimentis non diminuere, ac augens quidem alimentum eſt quod plenum vocatur.*

Textus ille Hippocratis (h) in Epidemiis. *Debiliores cibi brevem vitam habent.* Duplicem ſenſum habere poſſe videtur; primus eſt pro cibis debilibus illos intelligere qui ſunt facilioris coctionis, ac digeſtionis, unde brevem habent vitam, quia citò tranſmutantur, juxta ejuſdem Aphoriſmum (i). *Eorum quę celeriter nutriunt celeres quoque fiunt excretiones.* Hic tamen ſenſus, licet alias verus, reiicitur in caſu præſenti à Galeno, & Valleſio, tanquam nimis affectatus, vitam alimenti vocare ejus brevem moram in corpore. Senſus alter magis proprius quem ambo Interpretes ſequuntur eſt vocare cibos debiles eos, qui paucum præſtant nutrimentum, & hos vitam brevem habere, hoc eſt vitam brevem ſervare iis qui talibus nutriuntur: Jam modo eadem debilitas eſt in alimentis, qui parum nutriunt, quia in paucà ſumuntur menſura, ac in iis qui levem habent ſubſtantiam, hinc Valleſius in Commentario. *Quare non temere conſulendum eſt Hominibus, ut cibi quem poſſint coquere partem detrahant, aut cibationem conſuetam inter-*

mit-

(g) *Comm.* 1. *Aphor.* (h) 6. *Epid. ſect.* 5. *tex.* 20.
(i) *Aphor.* 18. *ſect.* 2.

mittant, tantum enim ſibi vitæ detrahunt, & ſi interim videantur nonnulli eorum ſalubrius degere.

In hunc victus tenuis errorem lapſus fuit, non multis ab hinc annis magnus Litteratus, & Eccleſiaſticus magis tamen Metaphyſicus idealis, quam Phyſicus Medicus, qui comedendi, & Comedentium hoſtis acerrimus vitam ſibi decurtavit alimenti penuriâ; Cioccolatam enim ſumens poſtquam ore pauliſper tenuiſſet illam expuebat, quia ſpiritum ſumpſiſſe ſatis credebat, reliquum autem cioccolatę cadaver vocabat, donec ipſe cadaver, immo ſcheletrum, cadaveris tandem evaſit.

Quoniam tamen non pauci ſunt, qui, etſi valetudine fruentes, aut præ ſtomaci debilitate, aut ęxercitii defectu, aut ſtudiorum aſſiduitate, haud valent bis in die potius, quam ſemel cibum capere, ut eſt Celſi conſilium, præſertim in craſſo aëre romano, hinc altera oritur anſa dubitandi, an expediat in prandio, an in cœna lautius comedere: Scio ſtilum hodiernum uſitatiorem eſſe parcam facere cœnam, contra tamen morem Antiquorum Romanorum, unde Plinius Cecilius, referente Celio Rodigino (l). *Poſt cibum ſæpè, quem interdiù levem, & facilem, more veterum, ſumebat &c.* Et Trebellius Pollio ſcribit prandium fuiſſe pro Militibus, cœnam verò pro Civibus; ſed quod magis refert, talis mos eſt contra Hippocratis, & Galeni doctrinam, (m) quorum primus nos docuit. *Victum præſcribere ex ſor-*

(l) *Lect. antiq. lib.* 27. *cap.* 24.

(m) *De rat. vict. in acut. n.*41.*apud Marinell.*

ſorbitione primum deinde ex cibis, & piſcibus coctis ad noctem; alter verò ait: (n) *Quippe quod in ſuperioribus ſuaſimus, cum valentius alimentum veſperi exhibendum cenſuimus, id ſemper obſervare ſtudebimus, utique non leve percepturis commodum iis, qui ita cibabuntur*; & rationem reddit proſequendo. *Quare primo loco leve ſumendum his eſt; quo videlicet concoquatur celerrimè, & excrementum ejus diſcedat, & vacuus, puruſque ventriculus ſecundum excipiat; at quoniam non ſolum quies, & ſomnus, ſed etiam longius tempus hujus naturalem adminiſtrationem excipit, rationabile eſt, ut valentiores ciborum hoc maximè tempore offerantur*.

Antiquus hic mos ſervatur adhuc apud Turcas, (o) qui nonniſi ad cœnam ſolito pilao, aut alio carnis genere veſcuntur, comedentibus mane Magnatibus herbas, legumina, fructus, & bellaria; Popularibus verò lacticinia, pepones, cucumeres, juxta anni tempeſtates.

At quia non ſine aliqua ratione, & experimento credibile eſt Romæ à potiori parte contrariam vivendi normam eſſe introductam, operæ pretium erit hujus originem expiſcari, & pro rectà methodo aliqua uti diſtinctione.

Puto itaque, quod eatenus, ut ſupra narravimus prandium erat pro Militibus, cœna pro Civibus, quia Milites in caſtris erant ſtationarii, Cives verò negociis dediti; Cum autem Romæ ambitus

(n) 7. *Meth. cap.6.*
(o) *Tavernier relatione del Serraglio.*

bitus adeo vaſtus eſſet, ut pro negociorum expeditione dies antea deficeret, quam domum redire poſſent, præſertim qui in ſuburbiis habitabant; hinc mane, vel domi, ante egreſſum, vel in calidæ officinis urbanis, circa meridiem, aliquid brevi manu ſorbebant, vel comedebant, uſque ad veſperas non redeuntes; decidente poſtmodum armigero imperio, & literario ſurgente, urbs illa vaſtiſſima, poſt tot depopulationes, & Barbarorum clades, in hujuſmodi anguſtum circuitum redacta, non amplius fuit obſtaculo, ne, à negociis matutinis domum redire poſſent; adde, quod plerique Incolarum eccleſiaſticà, vel doctorali togà inſigniti nocturnis vigiliis ac ſtudiis naváre operam ſolent, quibus cœna lauta admodum eſſet pernicioſa: ſed redeamus ad methodum.

Valleſius in Controverſiis (p) inhærens, ut puto illi Hippocratis dicto *Somnus concoquit, vigilia digerit*. Diſtinguit aliquos, qui robuſtà pollent ad coquendum facultate, ſed vaſorum anguſtià laborant ad digeſtionem, & diſtributionem faciendam, alios verò debili ac tardà ad concoquendum virtute; prioribus expedit de mane plus comedere; motus enim & vigilia diurna promovent digeſtionem, ultimis verò utilior eſt cœna, ex rationibus à Galeno aſſignatis de ſomno, & majori temporis ſpatio à cœnà uſque ad prandium.

Valleſii doctrina rationi congrua videtur eſſe, illi tamen alias conſiderationes placet adjungere, ut puto clariores; nimirum, qui catharro abundant,

qui

(p) *Lib.6. cap.7.*

qui noctes inſomnes traducere debent, qui reſpirandi difficultate laborant, qui incubo morbo frequenter vexantur, qui profundè dormiunt, & cum ſtertore, omnes parcâ admodum cœnâ uti debent; qui è contra ſtatim à prandio ſtudere, aut ſcribere coguntur, qui parvo, aut nullo temporis intervallo ambulare, aut quovis alio labore exerceri debent, qui ſtomaco vacuo ægrè ſomnum concipiunt meliori conſilio cœnabunt: tandem hyeme ob dierum brevitatem, & noctium longitudinem commodior erit cœna quàm prandium, æſtate verò ob languorem à calore meridiano uberior cibus de mane, veſpere, ob noctium brevitatem parcior erit aſſumendus.

ANIMADVERSIO III.

Circa uſum Medicamentorum.

INveteratus abuſus inter Medicos gregarios ſupervacaneas ordinationes faciendi anſam dedit origini Scholæ cujuſdam modernæ in aliquibus Italiæ urbibus, quæ graviori forſan errore, ut virgam contortam dirigeret, parum abfuitne penitus diſrumperet, eòque generoſam Artem redegit, ut à tempeſtatum impetu ad ſyrtes arenoſas impingeretur: hujuſmodi, nomine tenus Medicis, mos eſt theoricis deſcriptionibus Ægrotos paſcere, deſcribunt enim ſatis eloquenter morbi naturam, & cauſas, abſque ullius tamen efficacis remedii propoſitione, ſed leviſſima quædam, eademque

om-

omnibus perpetuò exhibentes, Medicinæ Leones ſed abſque dentibus atque unguibus, odio habent, & horrore quodlibet purgantium genus, etiam lænitivum, ac benignum, miſero mentis præjudicio; morbos omnes fieri, ob vitiatam ſolidorum ſtructuram non ex vitio fluidorum primario, hinc ſemper timore panico urgentur, purgantium vi eorundem texturam magis infringi, aut relaxari, & propterea de purgandis cruditatibus, & corruptis humoribus, nunquam cogitant, nec eorum methodo gravem morbum ſanari ullus unquam vidit magiſtro experimento, leves autem diutius prorogantur.

Quid mirum ergo, ſi hujuſmodi Medici putatitii, inermes penè, ac ſolum velitando pugnantes, Thomæ Bovii flagello acriter non minus, quam ſapienter verberentur.

Ad hanc rem riſu potius, quam admiratione dignum caſum, inter me atque Exterum olim contingentem enarrabo. Uxorem ſuam in patrià ægrotantem is reliquerat, pro cujus ope ſcriptam conſultationem Romę exoraverat à quodam ſterilis illius Scholę Medico celeberrimo, mihi autem occurrens forte fortuna in ędibus communis Amici ſchedulam porrexit, ut legerem, ego renuens accipere, ſiſte, ac tecum teneas, reſpondi, non enim mihi opus eſt legere, ut ſciam quid in illà ſit ſcriptum; quænam ſit tuę Uxoris ægritudo, ignoro, quid autem in ea conſultatione proponatur adamuſſim divinare confido, audias ergo. Proponitur ibi Aqua lactis, oleum amigdalarum dulcium, gelati-

latina, cornu cervi, pulvis oculorum cancri, fortaſſe ſtibium diaforeticum, & nihil amplius: obſtupuit ille, hæc omnia contineri confitens, & nihil amplius; tunc ego, ne credas magicà arte hæc me divinaſſe, ſcire autem te volo, me hujus Doctoris multas conſultationes ſcriptas perlegiſſe, multas etiam oretenus audiviſſe pro variis, & variis ægritudinibus, & tum ſcriptis, tum voce hæc eadem, utrobique medicamenta, & non alia apud ipſum audivi; nil ergo mirum ſi tuæ pariter Uxoris conſultationem divinare confidi; quis ergo ſimilem unquam vidit impoſturam, qua mederi ſimulant, & non medentur! & quod magis eſt Medici eximii nomen uſurpant pharmacorum virtutes, & compoſitiones ignorando; Deo tamen ſit laus, quod Roma citò, vel ſerò hujuſmodi Impoſtores tandem diſtinguit, & non paucos vidimus exteros hoſce Gigantes, Romæ Pigmeos evaſiſſe.

Concludo itaque ac repeto ordinationes faciendas eſſe juxta indicationes deſumptas à morbi naturà, à cauſis, & erratis pregreſſis, à viribus, ac temperamento Ægrotantis, nec Pharmacopolas impinguandos frequentibus Hyacinthi bolis, pulveribus cordialibus, & Julapiis gemmatis, margaritiſque, ſolo pretextu corroborandi, ac dulcificandi, abſque eo quod eorum ſit præciſa egeſtas aut indicatio; leves morbi paucis indigent medicamentis, magni verò, ſimiliter paucis, ſed magnis, & efficacibus, opportuno tempore, & non ſingulis horis.

Nec reticendus quorundam error familiaris, qui cauti

cauti laudem affectantes Ægroto jam ſanato, ſecundum medicamentum purgans perpetuo propinant, non perpendentes an tali purgatione ſit opus. Medica Praxis inter duos veluti Polos oppoſitos coercetur, duobus nempe Hippocratis Aphoriſmis, (q) quorum alter. *Quæ relinquuntur in morbis poſt criſim recidivam facere conſueverunt*, alter verò. (r) *Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere oportet*. Si ergò Medicus imprudens facta integra judicatione pharmacum purgans ad cautelam exhibeat, hoc titulo proculdubiò recidivabit Convaleſcens, & incidet in Scyllam propter vitare Charibdim. Medici ergo erit onus diſtinguere, quando propter humoris peccantis reliquias timenda eſt recidiva, & quando facta eſt integra judicatio, cujus diſtinctionis, regulas nonnullas inſinuat idem Hippocrates in Aphoriſmis, (s) *Si quis à morbo cibum aſſumens non corroboratur pluri alimento corpus uti ſignificat, quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet quod indiget evacuatione:* item in altero Aphoriſmo (t). *Sudor multus è ſomno factus abſque cauſa manifeſta corpus uti pluri cibo ſignificat, ſi verò cibum non accipienti, hoc accidat, ſcire oportet quod evacuatione indiget*.

Uno verbo ſi poſt morbi judicationem vires non reſtaurantur, ſudores frequentant, aut inappetentia

(q) *Aphor.*12. *ſect.*2. (r) *Aphor.*20. *ſect.*2.
(s) *Aphor.*8. *ſect.*2.
(t) *Aphor.*41. *ſect.*4.

tia, ſitis, oris amaror, anhelitus, malus odor, ſcitote quod non eſt facta integra judicatio: ſi è contra omnia bene ſe habent nihil movendum aut innovandum.

Non raro contingit in principio morbi, Medicos à pulſus tenuitate perteritos medicamentum evacuans Ægroto non exhibere, etſi alioquin ſumma ſit illius neceſſitas, quare tempus inutiliter terunt in virium corroboratione non diſtinguentes debilitatem, quæ eſt ab exhauſtu, ab illa quæ eſt ab oppreſſione: hæc diſtinctio unus eſt & Medicinæ practicæ præcipuis cardinibus, quam pluries, & pluribus Galenus (u) advertit, & inculcavit.

Placet hic enarrare controverſiam quandam, quæ mihi pluribus ab hinc annis contigit, cum altero Medico ex Primariis; petiit hic alterius negocii causâ Matronæ Excellentiſſimæ domum, cujus ego eram Medicus ordinarius, & quoniam eàdem illà die in lecto decubuerat ejus Ancilla, alioquin valetudinaria, & clorosi laborans rogavit Matrona dictum Medicum, ut illam viſeret. Vidit Medicus, & pulſum inveniens tenuiſſimum, cum febriculà ac ſpirandi difficultate, Dominæ ſignificavit Ægrotam laborare in extremis, ut ad craſtinum difficulter perveniret; illo abeunte, currum ad me Domina miſit horà primà noctis, & mihi obviam occurens. Ancilla, inquit, mea moritur: illam ego viſurus aſcendi, vidi, cuncta bene perpendi, & ad Dominam rediens aſſero intrepidè nihil

(u) *Lib. de pulſibus ad Tyrones cap.* 2.
(x) 9. *Meth. cap.* 10.

nihil mali eſſe; obſtupuit illa, rogavitque, ut manè diluculo redirem; rediit quidem alter Medicus in Aurorà, ſed ego fiduciam oſtentans, non niſi circa meridiem illuc me contuli; occurrit mihi Domina, & plena timoris, Sinibalde, inquit, aperi oculos; agitur enim de tuà extimatione, vel ignominià; rediit Medicus ille, & nullam omninò vitæ ſpem eſſe, conſtanter aſſeruit, ſubridens ego ad Ægrotam accedo, & conſtantiſſimè repeto, me nihil timere; ſubdidit Matrona Medicum dixiſſe, quod largâ ſanguinis miſſione opus eſſet, ſed pulſus exilitas non permittebat; at ego iterum ſubridens, intelligo, dixi, boni Viri equivocationem; ſanguinem haud mittere mihi eſt animus, non quidem metu virium, ſed quià non eſt conveniens; immò purgans, medicamentum, illudque efficax propinare cogito, quod illicò ſcripſi pro ſequenti mane; rediens ad veſperas Medicus, & meam perlegens receptam, ſigno Crucis ſe ſignavit obſtupeſcens, & abiit: mane autem ſequenti ſumpto ab Ægrotà medicamento, mira & maxima ſequuta eſt evacuatio, pulſus valde elatus eſt, & illa bene valens eàdem die ſurrexit è lecto. Quamplurima ejusmodi exempla in promptu haberem, quæ recenſere nimis longum eſſet.

Quando igitur Medicus in morbi principio debilem pulſum explorat, interroget primò, an præceſſerit aliqua inſignis evacuatio, aut hemorragiæ, aut diareæ, aut alterius generis, an longum jejunium, magnus labor, aut magnus dolor; obſervet poſtmodum, an pulſus quo magis

comprimitur, magis evaneſcat, & ex his manifeſta erit debilitas ab exhauſtu; ſed, ſi nullà ex dictis cauſis præcedente pulſus ſit inæqualis, & licet parvus comprimenti reſiſtat, ac reſiliat, credite, ſine hæſitatione, quod debilitas eſt ab oppreſſione, nec roborantibus indiget, ſed vacuatione.

Ut autem diſtinguatis, an hæc evacuatio fieri debeat per medicamentum purgans, an per phlebotomiam, opus eſt cum Hippocrate noſcere præterita, & ſcire præſentia, cauſas, & errores antecedentes inquirendo, tum etiam, an temperamentum ſit pletoricum, vel cacochimum, an ſtomacus, & urina cruditatis, aut phlogoſis ſigna portendant, an Ægrotus, valetudinis tempore plurimum comedere cibos eupeptos, & optimè digerere ſit aſſuetus, in quo caſu plethora & ſanguis redundabit, an cibos noxios, malè digeſtos, cum oris amarore, inappetentià, & ad vomitum propenſione, & manifeſta erunt chachochimiæ, & cruditatis indicia.

Remanent duæ dubietates expendendæ; prima eſt, an probari debeat necne, medicamenta purgantia cum cibo exhibere, ut non raro apud Medicos mos eſt, altera eſt an ſumpto purgante liceat dormire.

Primæ dubietati anſam dediſſe videtur Hippocrates (y) ænigmatico illo textu: *In alimento pharmaca optimum, in alimento pharmaca pravum; pravum, & optimum ad aliquid*. Valleſius in commentario explicat, medicamentum cum cibo ali-

quibus

(y) *Lib. de alimento.*

quibus eſſe utile, aliquibus noxium, utile illis, qui ob ſtomaci mollitiem ac nauſeam, vix ſentito odore, aut guſtato ſapore illud evomunt, vel ſtatim infra reiiciunt, antequam operandi tempus habeat; noxium illis qui ſtomaco valent & retinendi vigore, mixtum enim cum cibo, una cum illo concoquetur, ac diſtribuetur.

Hæc tamen Valleſii interpretatio, utut ſit vera Hippocratis textum, non ſatis explicare videtur, cum enim fateatur & ipſe hunc purgandi modum ſi non utilem, ſaltem neceſſarium eſſe in magna purgationis neceſſitate, non omninò ſatisfacit verbo illo *Optimum*, quod ſignificat rem utiliſſimam.

Ad meliorem ergo hujus textus intelligentiam, advertamus primò verbum hoc *pharmacum* omnibus medicamentis genericum eſſe, tùm alterantibus, tùm purgantibus: *optimum* ergo in alimento erunt medicamenta alterantia, hoc eſt refrigerantia, incraſſantia, attenuantia, aperientia, corroborantia, *pravum* purgantia, etſi quandoque neceſſaria ad majus malum evitandum.

Ulterius; aliud eſt purgans pharmacum, cum cibo miſcere, aliud cibum porrigere, quod de ſui natura ſit ſolvens; in primo caſu in alimento pravum, quia, cum purgans, ut docet Galenus, ſit medium quid inter venenum, & alimentum, cibo permixtum qualitates ſuas ſemiveneficas neceſſariò permiſcet, quibus fermenta digeſtiva corrumpere eſt aptum; at cibus de ſui natura ſolvens erit optimus ſtipticitate laborantibus, ut herbæ

coctæ, lacticinia, pruna, ficus, aliique conſimiles fructus, immò & caſſia, & Tamarindi, qui pariter ſunt fructus.

Secundæ dubietati; An ſuper pharmacum purgans dormire liceat, reſpondeo, ſi illud propinetur in forma liquida dormire non convenit, quia, cum per ſomnum magis, quam expedit coqui poſſit, virtutem ſolventem amittere poſſet, & una cum alimento per chilifera vaſa in ſanguinem transmeare, talis enim eſt purgantis natura, ut debeat partim vinci, & partim vincere, ſi verò ſit in forma ſolida boli, vel pillularum, utilis ſomnus interdum erit ad faciliorem illius coctionem, ſtomacis præcipuè debilibus, ac tardè coquentibus.

ANIMADVERSIO IV.

Circa peculiaria quædam medicamenta.

HErmeticorum principiorum, & Spagiricæ inſcitia, errores non rarò fiunt, vel in ordinatione, vel in præparatione medicamentorum; aliquos hic adnotabo, qui mihi memoriæ occurrunt, locum aliis relinquens à me, vel ab aliis in dies memorandis.

Conſidero primò herbarum uſum, inter quas diſtinguendæ ſunt illæ, quæ ſalibus volatilibus pollent, ab aliis, quæ ſale fixo donantur; primæ per decoctionem non ſunt exhibendæ, potiorem enim virtutis partem amittunt, ex volatilium diſ-

perſione, ut ſunt Naſturtius uterque, aquaticus, & hortenſis, Coclearia, Beccabunga, Eruca, & ſimiles aliæ ſaporis acuti, ſed ex illis ſuccus abſque igne exprimi debet, vel Quinteſſentia; quæ verò ſales habent fixos, ut Cicoreum, Fumaria, omneſque herbæ amaræ, auſteræ,& acerbæ ebullitionem requirunt, aut diuturnam infuſionem in congruo menſtruo ad extrahendam tincturam.

Magnà quidem ſimplicitate, atque inſipientià Stillatum Caponis pro Reſtaurativo Ægrotantium ab aliquibus præſcribitur, cum nil aliud ſit illud quam ſimplex aqua aliorum ingredientium ſalibus pauliſper imbuta, ſed abſque ulla ſubſtantià; Diſtillata nutritia fieri debent per deſcenſum, non per aſcenſum.

Conſimilis error videtur eſſe in compoſitione Julapii gemmati, in quo pretioſi lapilli deſtillantur, mira tot ſæculorum hallucinatio, non advertentium à lapidibus nihil aſcendere poſſe.

Errant qui ad obſtructiones aperiendas utuntur chalibe extincto, & reverberato; virtus enim deobſtruens reſidet in parte ſulphurea, quæ aduſtione conſumitur, remanente parte ſalinoterreà, quę eſt adſtringens; nec obſtat Ætii, & Pauli Æginetæ authoritas, qui Lienoſis aquam extinctionis chalibis juvare aſſerunt, in eam etenim aquam decidunt, ac remanent partes ſulphureæ, quibus ſpoliatur chalibs.

Antimonium diaphoreticum, licet omninò ſpoliatum particulis arſenicalibus, eme ticis, & ſolventibus, longo tamen temporis ſpatio, aut non re-

ctè ab ambiente aere cuſtoditum ſæpe illas reaſſumit, & pluries vidimus ab eodem vomitus, & alui fluxus violentos cieri; vitabimus hoc periculum, ſi quoties eſt exhibendum, antea ſuper ignem traiiciatur, in crucibulo, aut in carta illud revolvendo.

Mercurius Marti ſemper eſt inimicus, quapropter, cujuſcunque ſit præparationis aut crudus, aut eſtinctus, aut præcipitatus, aut ad dulcedinem ſublimatus, aut diaphoreticus, nunquam martiali medicamento eſt coniungendus, immò potius alicui purganti, puta Scammonio, aut Scialappæ miſcendus, quod illum è corpore extraducat; licet enim probè extinctus, aut dulcificatus, longa mora reviviſcit, ut rectè à Quercetano vocetur Famulus fugitivus.

In uſu Coloquintidis duo notabilia ſunt advertenda, alterum quod ſpectat ad præparationem, alterum quod ad doſim. Quo ad præparationem formantur ex illa in officinis trochiſci Alhandal ex Meſues adinvento cum mucilagine, gummi tragacanthi bdelii, & gummi arabici, quibus Coloquintidis acrimoniam refrangere eſt intentio, at Galenus (a) licet in Methodo, & ipſe gummata poneret, alibi tamen (b) contrariæ fuit ſententiæ, ubi ſuas celebres pillulas deſcribens, *Coloquintidis partem unam, aloes, & ſcammonii, utriuſque partes duas*, à prima ſententia recedens proſequitur: *his ego unam partem ſucci abſinthii miſceo, antea verò*

(a) 5. *Methodi*.
(b) 1. *de compoſ. medic. local. cap.* 2.

verò & maſticen, chiam, & bdellium adjeci; hoc enim modo Quintus utebatur; verum propter quid ea rejecerim, alio ſermone explicabitur, quem in compoſitionis purgantium pharmacorum libros reſervo.

Hic liber purgantium apud Galenum non invenitur, unde forſan fuit illi animus ſcribendi, ſed non ſcripſit: Petrus Caſtellus in ſuo Antidotario Romano Meſſanæ impreſſo, putat Galenum obſervaſſe, Coloquintidem gummi permixtam inteſtina tantum repurgare, non trahere à partibus remotis, ut ipſe optabat, immò difficilem, & moleſtam facere ſolutionem; addo ego, ex meà obſervatione, me utroque modo experiri voluiſſe, & obſervaſſe trochiſcos cum gummi frequentes alui dolores, teneſmum, & mucos cruentos promoviſſe, cum exiguà operatione, non ita Galeni pillulam ſine gummi; quare in ea ſum ſententia, Coloquintidem, cum gummi ultra incommoda à Caſtello deſcripta, inteſtinis tenaciter adhærere, & longà morà excoriationem inducere.

Volentes autem cum praxi communi, trochiſcis uti, advertere debetis, cum Claudino, & Caſtello ſupradicto, diſcordes eſſe textus in Coloquintidis doſi præſcribenda, pro trochiſcis conficiendis; alii enim leguntur, cum dracmis decem, alii cum unciis decem; ultima hæc doſis à potiori parte, & à Romano Collegio admittitur; caveat ergo qui in aliis regionibus praxim exercere debet, ut certior antea fiat quo Antidotario utantur in officinis.

Scammonium duplici modo prępáratur; uſuale galenicum fit cum ſucco Cotonei, & vocatur Diagridium; alia ejuſdem præparatio eſt illa Cornachini, cum ſulphure liquefaciens, & hujus, utpote magis correctæ doſis triplo major exhiberi poteſt, uſque ad grana 24., vel 30. Id quod ego obſervavi in hoc ſcammonio ſulphurato, ſicut etiam in ejuſdem extracto, eſt, quod in forma boli ſæpiſſimè nihil operatur, idque eatenus contingere arbitror, quatenus ejus ſubſtantia gummoſa, vel reſinoſa in bolos redacta adeo denſatur, & conſolidatur, ut tranſeat impermutata; nec alia intentione, crediderim, Cornachinus in ſuo pulvere, cremoris tartari ſcrupulum poſuit, doſim quidem ad ſolvendum omninò ineptam, niſi quia, cum Scammonio permixtus, illius minima granula interſecet, & condenſari præpediat.

Inter chinæ radices ſępè aliquæ lapidoſæ inveniuntur quæ tanquam deteriores vili pretio venduntur, à pluribus tamen hodiernis Medicis æſtimari cœperunt & ſeligi, utpote quæ congelatione ſuccum balſamicum integrè ſervare credanrur, cui quidem opinioni non ita facilè accommodor, compertum enim unicuique eſt congelationem illam, ſeu virtutem lapidificam in quodam ſale conſiſtere; aut ergo illud ab eſtrinſeco advenit, & chinæ radix ab extraneà miſcelà erit adulterata, aut eſt ſal intrinſecum ejuſdem, quod ad ſuperficiem aſcendens in ejus poroſitatibus denſatur, ac lapideſcit, & arguet mixti corruptelam, & principiorum componentium ſeparationem, placet ergo

ergo antiquior opinio, quæ illam confutandam, exiſtimavit.

De auro potabili magna, & mirabilia Chymiſtæ canunt, & illius prætium virtuti æquiparatur, ſed nullum eſt medicamentum, in quo magis decipiatur Mundus ab Impoſtoribus; factà enim ſuper hoc diligenti, & curiosà indagine, plus quam morali certitudine aſſerere poſſum nullum ferè ex iſtis, quæ paſſim proponuntur, & celebrantur, quidquam auri in ſe continere, ſed ſunt tincturæ duntaxat, vel Antimonii, vel Mellis, vel Magneſiæ albæ quæ licet virtute aliquà polleant, vel diaphoreticà, vel cordiali, non ideo merentur auri pretio comparari, cum nil aliud in ſe habeant pretii, quam ignem, & laborem, quæ vero aliquid auri in ſe, habent, admixto aliquo præcipitante, facile in fundum illud præcipitant.

In uſu aquarum thermalium, quæ per urinam ſunt traiiciendæ error fuit Antiquorum uſque ad hoc ſeculum, continuam deambulationem bibentibus imperare; docuit autèm magiſtra experientià, in lecto propinatas faciliùs, ac citiùs reſtitui.

In alexipharmacis ad febres malignas præſcribendis alium vidi non in frequentem abuſum; non diſtinguentes enim an malignitas ſit, ex coagulo, an ex diſſolutione, confundunt acida fixantia cum volatilibus diaphoreticis, in eàdem febre ſpiritum vitrioli, ſpiritum vel ſalem volatilem cornu cervi, & trochiſcos viperinos promiſcuè adhibentes, ita ut alter alterius operationem impediat.

Deterior equivocatio eſt illa, in quam Medicos etiam

etiam non vulgares, ſed parum in ſpagiricà expertos incidere vidi, Phtiſicis, & Aſthmaticis ſpiritum ſulphuris præſcribere cõmuni illà credulitate, quod ſulphur ſit balſamum pulmonum, non diſtinguentes duas in ſulphure contrarias eſſe ſubſtantias, & ſeparabiles, partem nempe butiraceam, quæ balſamum eſt pulmonum, & ſpiritum acidum pulmonibus inimicum, & adſtringentem.

Fuit Serapionis, & Meſues documentum, Aloe oſcula venarum aperire, & hemorragias inducere, præcipuè à venis hemorroidalibus, credulitas Vulgo Medicorum impreſſa, non minus falſa, quam veterum Præceptorum doctrinis adverſa, immò ipſi experientiæ. Galenus de Simplicibus (c) *Aloe*, inquit, *medicamen eſt, quod ſinus glutinat, ſanat, & ulcera, quæ ægrè ad cicatricem duci poſſunt, & maximè quæ in ano ſunt, & pudendo*. Et celebre eſt emplaſtrum ab eodem in methodo deſcriptum ad ſanguinem ſiſtendum ex Aloe Thure, ovi albumine, & pilis Leporis; confirmant hoc idem, & laudant Avicennas, (d) & Paulus Ægineta; nec admittenda Jacobi de Partibus cavilloſa diſtinctio à Compluribus approbata, qui adſtringentem virtutem tribuit Aloe de foris applicito, aperientem verò intrinſecus aſſumpto; diſtinctio ſanè tam in congrua, quam verum eſt philoſophicum axioma. Idem ut idem ſemper facit idem: tollunt autem omne ſubterfugium Dioſcorides, & Plinius, (e) quorum primus: *Aloe*, inquit, *vim habet*

(c) *De ſimpl. medic. lib.* 6.
(d) *Fen.* 17. *canon.* 3. *c.* 9. *lib.* 7. (e) *Lib.* 3. *c.* 24.

bet adſtringendi, & cum aquà frigidà potum ſanguinis excretiones prohibet. Alter vero (f) *Aloe ſanguinis excretiones, ſi modicæ ſint, dracmæ pondere ex aquà, ſin minus ex aceto pota ſedat.*

Magnam, & pernicioſam æquivocationem in officinis Medicis obſervo in compoſitione illorum medicamentorum, in quæ Cinnabaris naturalis ingreditur, putant enim antiquorum Cinnabarim eſſe illud Cinabrum nativum argenti vivi, & ſulphuris mineralis mixturam ſubterraneam, illoque non ſine periculo utuntur, quod jure optimo ab Ætmullero ſuſpectum habetur, ait enim, *Quæritur an Cinnabaris nativa poſſit tutò intra corpus aſſumi; reſpondeo non immeritò dubitant nonnulli, quibus ſuſpectum eſt ſulphur arſenicale quod plerunque in mineris ſe ſolet aſſociare*. Sed tamen ab errore in errorem, ut puto, labens huic cinnabarim artificialem ſubſtituit, inquiens. *Propterea reiicitur Cinnabaris nativa, præfertur artificialis.*

Quid autem ſit vera Antiquorum Cinnabaris, videatur Mattiolus in Dioſcoridem, & Leonardus Fuchſius in Paradoxis, qui clarè demonſtrant nil aliud eſſe, quam id, quod in officinis vocatur Sanguis Draconis, quodque etiam temporibus Dioſcoridis, & Plinii, illius animalis ſanguis falsò credebatur, ſed eſt arboris africani lacrima rara quidem, & non parvi prætii, quæ hodie ad nos non amplius advehitur, ut aſſerit idem Mattiolus, ſed illius loco falſa componitur mixtura ab Impoſtoribus, ex Rubià, Traganto, Rubricà, & ſimilibus.

ANI-

(f) *Lib.27. cap.4.*

ANIMADVERSIO V.

De Lacte.

HIppocrates in Aphoriſmis, (g). *Lac dare caput dolentibus malum, malum autem, & febricitantibus, & quibus hippocondria ſublimia murmurant, & ſitientibus; malum autem, & quibus bilioſæ dejectiones in febribus bilioſis ſunt.*

Si prohibet lac caput dolentibus, cur poſtea Morbo nigro (h) præſcribit, quem dolor capitis cõcomitatur? (i) cur illud cõcedit in dolore capitis ab utero exulcerato? Reſpondeo Hippocratem prohibere lac in doloribus capitis gravativis, ſed præſcribere in doloribus acutis, & pungentibus, quibus, cum fiant ab humoribus acribus, & mordacibus, lac magnum eſt, & dulcificans remedium; hinc, morbum nigrum deſcribens: *Pectus*, ait, *ac dorſum veluti ſtilis pungi videatur*, & in utero exulcerato: *Dolor acutus corripit lumbos &c. & mordetur, & caput vehementer dolet.*

Si prohibet lac hippocondriis murmurantibus, cur in Acutis præſcribit Coleræ ſiccæ, in qua, ut ipſe ait, (l) *Venter inflatur, & crepitus fiunt?* Si prohibet in febribus, præſertim bilioſis, cur in febribus ardentibus (m) illud ſuadet? Reſpondeo lactis uſum apud Hippocratem duplicem habere in-

(g) 5. *Aphor.*64. (h) *De morbis lib.*2. *ſect.*4.
(i) *Lib.*1. *de morb. mul.*
(l) 4. *de rat. vict. in acut.* (m) *Ibidem.*

intentionem, vel, ut alimentum, vel, ut purgans; ut alimentum illud prohibet in aphoriſmis, recenſitis caſibus, & aliis ſequentibus; ut purgante, utitur eodem in copia ſumpto, in colerà ſiccà, & in febre ardente: *Si autem non ceſſaverit dolor*, ſunt ejus verba in colerà ſiccà, *Lac Aſinæ bibendum da, donec purgetur*. Et in febre ardente: *Quod ſi amarum fuerit os vomere confert, & alvum ſubluere; verùm ſi ad hæc non aperiatur, lac Aſinæ coquens purgabis*. Dicet aliquis, cum Valleſio, oportunius fore uti ſero, quam lacte, fortaſſe autem lac adhibuiſſe Hippocratem, ut potionem nutrientem ſimul, ac purgantem propinaret; Ego tamen non credo hanc fuiſſe Hippocratis mentem; lac etenim in copià ſumptum ad purgandum, citò per ſeceſſum deſcendit, nec remanere poteſt pro alimento, immo ſi in alimentum faceſſeret, id eſſet contra ejus intentionem, qui prohibuit illud in febribus bilioſis; puto potius, ideò lac Aſinæ feroſum ſero abſoluto prætuliſſe in duobus morbis ſicciſſimis, febre nimirum ardente, & colerà ſiccà, ut liquore uteretur magis humectante, ac butiroſo, quam ſerum. Sequitur Hippocrates.

Et quibus multi ſanguinis dejectio facta eſſet. Hanc particulam licet ferat Galenus in textu, in commento tamen tranſit ſub ſilentio. Dicamus itaque, poſt copioſam hemorragiam, ut plurimum degenerari in cachexiam, cui lac noxium eſſet; convenit quidem lac in moderato ſanguinis fluxu, quare Hippocrates (o) dedit Eratolai filio diſſente-

(o) 7. *Epidem.*

ſenterico, & nos eodem communiter utimur in Emophtiſi.

Verum confert Tabidis non admodum febricitantibus, dare autem etiam in febribus longis debilibus, nullo dictorum ſignorum apparente, præter rationem verò extenuatis. Tabidis & extenuatis cum febre lentà ac debili convenit lac, ſed nec iis exhibendum ſi febris ſit vehemens; ſignum enim eſt, hecticæ conjunctam eſſe febrem bilioſam, quæ lactis uſu augeretur, & lac in corruptelam abiret.

ANIMADVERSIO VI.

De Acidis.

QUam facile ſit, ut aliquis corrigatur abuſus, in alterum ruere contrarium, nil evidentius oſtendit, quam ſuperſtitioſa non minus, quam rigoroſa Acidorum proſcriptio non paucis, ex modernis Medicis, uſualis,& ab iis fortiter ita in Vulgus impreſſa, ut rejecto quolibet alimento, vel medicamento acido nil propemodùm aliud à Medicis requirant, quam dulcificari, & dulcificantia; perinde quaſi in humanis corporibus non alii humores, aut ſales invenirentur, quam acidi, contra id quod docuit Hippocrates (o) in eo textu. *Ineſt enim in homine, & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia innumera omnigenas facultates habentia.*

In eodem textu advertit Hippocrates non eſſe ama-

(o) *De veter. medic.*

amarum, & acidum, aut dulce illud quod nos lędit, *ſed inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum*. Ergo moderatum acidum in cibis non erit piaculum, ergo, ſi dulciſſimum etiam nocere eſt aptum, tot hæç frequentia dulcificantia, quæ plenis buccinis requiruntur, & imperantur, non minus quam acida, ſuſpecta quandoque erunt, & noxia.

Pręterea notum eſt etiam Tyronibus, quod ſicuti acidis medentur amara, ita amara ab acidis extinguuntur; at qualis unquam humor frequentior eſt morborum cauſa quam bilis amariſſima? de qua idem Hippocrates (p) aſſeruit. *Febres plurimæ à bile fiunt*. Quomodo quæsò amarum hoc amariſſimum extinguetur, relegatis perpetuò acidis omnibus, etiam moderatis? Non hæc ſanè fuit mens Hippocratis, (q) cum ſcripſit. *Cęterum aciditates ex aceto amarà bile abundantibus magis conferunt, quam atrabilariis; amara enim diſſolvuntur, & in pituitam tranſeunt, dum ab ipſo attolluntur, nigra verò fermentantur, & attolluntur, ac multiplicantur*. Nigra, humores ſcilicet atrabilares, & melancolici, quibus ſummè noxium eſt acidum, ſicut utiliſſimum eſt amaris.

Sed omni ratione, atque authoritate fortior eſt experientia, & ego bona fide teſtari poſſum, me ſingulis annis æſtivo tempore, plures diarreas bilioſas, ſolo aquæ limonatæ uſu affatim epotæ ad formam aquarum termalium illicò ſanaſſe, non mo-

dò

(p) *De natur. Homin.*
(q) *De vict. rat. in morb. acut.*

do in Hominibus adultis, ſed etiam in Infantibus non lactantibus, & dum hæc ſcribo, felicem habui curationem in duobus, ætatis menſium octodecim circiter, quorum altera femella, cum febre vehementi ac diarrhęa copioſa bilis eruginoſæ, alter maſculus ſine febre cum dejectionibus ſeroſis, & crudis per menſem, & amplius cum maximà emaciatione, & ſiti inextinguibili, utrique limonis aquam ad ſatietatem propinavi, & uterque citiſſimè convaluit, non ſine magnà multorum admiratione, qui tale remedium in tam tenellis ætatibus expaveſcebat.

ANIMADVERSIO VII.

De phlebotomia in genere.

INutilis, ac vana propemodum eſſet temporis jactura, ſermonem impendere in confutandà ſtultà non minus, quam perniciosà ſcholarum hæreſi, docentium nunquam, & nullibi ſanguinem eſſe mittendum; plura ſcripſit Galenus contra Eraſiſtratum primum ſcandali hujus inventorem, jam per tot ſecula damnati, poſtmodum in his ultimis Vanelmontis operà reviviſcentis, Homines reverà, qui calamum magis, quam praxim exercuerunt, cujus defectu convinci ab experientià nequiverunt, quam frequens ſit, ac periculo plena ſanguinis redundantia: legite ſi placet Joſephi Noceræ Meſſinenſis opus Medico-phyſicum, qui Modernorum ſophiſmata, ut Galenus illa Eraſiſtrati,

ad

ad evidentiam rejecit, interim ego de clarà veritate non diſputans, & phlebotomiam neceſſariam, ſupponens, de illa duntaxat rectè adminiſtrandà colligam documenta.

Non pauci ſunt qui ex ſanguinis miſſione incidunt in lipotimiam, vel propter ſpirituum effuſionem, vel, ut non rarò accidit, quia ſanguinem commovendo, aliquod pravæ indolis effluvium, evaginatur, juxta illud dicterium multa mota nocent, quæ ſi non moverentur non nocerent: ad utrunque periculum evitandum, ego ſanguinem nemini extrahere ſoleo, jejuno ſtomaco, ad quod caſus quidam me ſuaſit multis ab hinc annis mihi contingens. Virgo quædam habitu pletorico, ſed melancolica, & menſtruorum diminutione laborans, nec Medicum, nec Chyrurgum amplius inveniebat, quì illi ſanguinem auderet extrahere, eo quod ſemper in tali functione per horæ ſaltem ſpatium ſemimortua jaceret; interrogatà an id eveniret quia expaveſceret, an quia nimium extraxiſſent; neutrum, reſpondit, vix enim uncia, vel altera erat egreſſa, & jam deliquio corripiebatur, immo interdum à ſolis brachii frictionibus jam agitari ſentiebat, nec pavor erat inculpandus, ipſa enim ſanguinem ardenter optabat. Juſſi itaque, ut panis ferculum juræ madidum ante comederet, & ſi non delinqueret libram extraheret, quo comeſto libras duas alacriter, & ſine deliquio exilire permiſit.

Si ſanguine extracto, & refrigerato, fungus albus, ac durus appareat in ſuperficie, reiteretur

omninò ſanguinis miſſio, tum ut ſpatium fiat ſanguini craſſo qui eſt ſolvendus, tum ut lympha extrahatur, quæ ſolutionis eſt incapax, immò quo magis coquitur, magis dureſcit; è contra ſi ſanguis ſeroſus, ſubtilis, & valde ſit coloratus, ſiſtendus, aut parumper extrahendus; hinc utiliſſimam puto Medici attentionem, phlebotomiæ intervenire, videns enim ſanguinis impetum in exeundo, colorem, & craſſitiem, tum etiam Ægrotantis faciem & pulſum explorans, certiori methodo menſuram determinabit.

Gracilibus major ſanguinis copia, quam pinguibus eſt detrahenda, copioſiori enim abundant; placet autem Galeni animadverſio (r), diſtinguendi nimirum an gracilitas ſit ex habitu naturali, & cum venis amplis, an verò accidentalis ex laboribus, vigiliis, victus parſimonià, atque animi paſſionibus, in quo caſu paucus cumulabitur ſanguis, & paucus eſt extrahendus.

Non ita tamen ejuſdem Galeni conſilio (s) ſubſcribo phlebotomiam prohibentis in anni tempeſtatibus calidiſſimà, & frigidiſſimà, de calida non controverto, ſed quo ad frigidam, in hac potius minùs incommoda, & magis neceſſaria mihi videtur; minus incommoda, quia corpora ſunt robuſtiora & calidiora, juxta Hippocratis aphoriſmum *Ventres hyeme, & vere naturà calidiſſimi ſunt*, magis etiam neceſſaria, quia cibus uberior, & minor tranſpiratio majorem ſanguinis cumulum

coa-

(r) 2. *de temperam. cap.*4.
(s) 1. *ad Glaucon. cap.*4.

coacervant ; & ego longà experientià obſervavi emophtoicos , vel cuicunque alteri hemorragiæ ſubjectos in majori frigore ſanguinem reiicere ; hæc igitur doctrina aliquà indiget diſtinctiooe , aut limitatione , ſicut enim frigus ambiens Juvenibus, ratione antiperiſtaſis , calorem auget , ac robur ; Senibus verò præ minori reſiſtentià magis debilitat, ita Juvenibus, & ſanguine redundantibus tutiùs , & utiliùs ſanguinem detrahi exiſtimo , & genericè loquendo omnibus illis , qui à frigore ambientis vigorem augeri ſibi ſentiunt.

Ab urinà rubrà indicationem ſanguinis mittendi elicere ſolent Medici , noto Avicennæ documento : *Quando urina rubet , tu phlebotoma* ; ſed nimis æquivoca , & fallax eſt indicatio , cum urina rubeſcere poſſit , vel à ſanguine , vel à bile , vel à cruditatibus , unde idem Avicennas (t) monitos nos fecit : *Scito autem quod poſſibile eſt , ut urina ſit alba & complexio calida , & colerica , aut urina rubra , & complexio frigida & phlegmatica* : & alibi:(u) *Non oportet ut decipiatur aliquis per id, quod fortè ſit de ſiti , & inflammatione, & rubedine aquæ , ut exiſtimet , quod ægritudo ſit calida , illud namque eſt commune omnibus* . Idem advertunt Martianus, Dodoneus, Arquatus, Sennertus , aliique plurimi, & Galenus (x) inter ſigna febris quotidianæ numerat urinas , aut albas, & ſubtiles , aut craſſas , & rubras , optimè ergo perpendatur na-

 tura

(t) *Lib.*1. *Fæn* 2. *doctrin.*3. *cap.*2.
(u) *Lib.*3. *Fæn* 16. *tract*,3. *cap.*11.
(x) 1. *ad Glaucon. cap.*7.

tura morbi, ejuſque ſymptomata, ut cujus generis ſint urinæ rubræ certò judicetur.

Non unquam ſatis eſt exprobanda ſuperſtitioſa Medicorum quamplurium cautela, Vulgo, & fœminis indelebiliter impreſſa, nunquam ſanguinem mittendi, niſi prius exhibito purgante, ne, inquiunt, ſtomaci cruditates intra venas trahantur, perinde ac ſi cruditates in ſtomaco perpetuò ſtabulari ſit neceſſe, aut venarum ſanguis inteſtinorum excrementis per funiculum adhæreret: oportet indicationibus tantummodo in medendo duci, ut ſupra diximus, & illos ſaltem humores evacuare, qui peccant, nec tangere illos, qui, vel non adſunt, vel non lędunt.

At ſi pletoræ, & cachochimiæ ſigna ſimul appareant dubium oritur, unde curatio ſit inchoanda: non me latet, apud Medicos levioris notæ legem eſſe irrefragabilem, ſemper à purgante exordiendi, contra id quod majores Magiſtri nos docuerunt. Hippocrates (y) in acutis longam morborum ſeriem enumerans, ſubdit: *Solvi non poſſunt ſi quis prius medicamentis curationem aggrediatur, nam præcipuum in his eſt ſanguinem detrahere, deinde clyſterem adhibere ſi vehemens, & magnus morbus ſit, ſi non, & poſtea medicamento opus ſit, tutò, & moderatè poſt ſanguinis miſſionem medicamentum adhibendum eſt.*

Clarius Galenus in Epidem. (z) *Si verò homo utrunque remedium exigat, perſpicuum eſt, initium*

(y) 4. *de rat. vict. in acut.*
(z) *Lib.*6. *comment.*1. *n.*5.

tium à venæ ſectione ſumendum eſſe, item in Methodo (a): *Ubi abundantia humorum eſt, hos evacuabis, ubi craſſi ſunt, & glutinoſi, tenues eos, & fluxiles efficies; in ejuſmodi autem cauſarum complexu cœpiſſe à ſanguinis miſſione conveniet.*

Ejuſdem etiam ſententiæ fuit Avicennas (b). *Etſi alii etiam dominentur humores, tamen ab ea incipimus, quoniam phlebotomia eſt communis humorum evacuatio.*

Idem fortiùs inculcat Duretus (c). *Ubicunque purgationis, & phlebotomiæ neceſſarius incidit uſus à phlebotomià auſpicandum; qui contra facit tam eſt in vitio, quam ſi ipſe manus inferret Ægroto, quod morbum alioqui ſanabilem, ex eventu faciat inſanabilem.*

Et rationem clariſſimam reddit Langius (d). *Si primum incisà venà corpus evacuaverimus, tum pharmacum poſtea datum inveniet venas, & corporis meatus non ita refertos, nec obſtructos, ut pharmaci vires totam corporis molem penetrare poſſint, & mirà facilitate noxios educere humores, ſi verò vaſa fuerint ſanguine, aliiſve humoribus repleta, tum, obſtructis circa hepar, & meſenterium venis, pharmacum non ferenda alui tormina cruciatus, & animi deliquia excitabit, ac venulas divellet, nihil quoque effatu dignum educet.*

(a) *Lib.* 11. *Meth. cap.* 4.
(b) *Fæn* 1. *canon.* 3. *tract.* 1. *cap.* 29.
(c) *In coacas Hippocr. lib.* 2.
(d) *Lib.* 1. *epiſt.* 17.

ANIMADVERSIO VIII.

De peculiaribus quibuſdam locis ſanguinem mittendi.

MAgna mihi videtur eorum ſimplicitas, qui Ægrotis debilibus ſanguinem educunt à ſalvatellà ad minorem, ut ajunt, ſpirituum diſſipationem, non advertentes unam eſſe arteriam, quæ venis omnibus ſanguinem diſtribuit, &, ſi aliqua eſt differentia, cum hæc vena proximior ſit arteriæ deferenti credendum potius recipere illam, & effundere ſanguinem ſpirituoſiorem.

Hujus ejuſdem venæ ſectionem juvare in febribus cronicis, & Lienis morbis, communis ferè Medicorum eſt opinio, Galeni, & Aretei authoritatibus fulcita; quanto autem veritatis fundamento ex illius origine fit manifeſtum, cum nullam vena illa cum Liene communicationem habeat, unde illius ſectionem tanquam fruſtrancam exprobarunt Sylvaticus, Severinus, Sennertus, Bartolinus, & alii; nec Galeni, & Aretei authoritates negocium faceſſunt, ambo enim loquuntur non de propria, ſed de aliorum ſententià, Galenus (e) enim ait: *Nonnulli lienem ex tali evacuatione juvare cenſent*, Areteus autem (f). *Quandoquidem Medicorum nonnulli eam ad lienem uſque pertingere arbitrantur*, immò Galenus alibi apertis verbis eam

(e) *Lib.3. de adminiſtr. anathom.*
(f) *Lib.2. de acut. morb. curat.*

eam ſententiam confutat inquiens. (g) *Sic affecto lyene haud æque adiuverit circa annularem digitum ſiniſtræ manus inciſa vena, ac ſi internam cubiti ſecueris.*

Quid ergo? an non unquam talis venæ ſectio utilis eſſe poterit? equidem puto aliquam veritatis umbram, in hoc errore latere, cum enim Melancolici, & lienoſi ſeroſitatibus acroacidis redundare ſoleant, in hoc caſu talis venæ ſectio fortaſſe juvit nonnunquam magis, quam ab amplis brachii venis, quia per exile illud vaſculum major ſeroſitatis copia effundi potuit.

In hujus confirmationem collimat Hippocratis curatio in Iſchiade, jubet enim ſecari venulas in parte auricolę poſteriori, quod à Scithis didiciſſe ait, qui continuà, & laborioſà ſine ſtapedibus æquitatione, iſchiadici omnes evadebant, ad cujus medelam venas pone aures utrinque incidebant; immò in eodem affectu phlebothomiam à ſalvatellis Arabes laudant. Talis curationis rationem non improbabilem reddit Hygmorus (h), Arthritis enim doloreſque iſchiadici ex ſanguine ſeroſo, acri, ac tenuiore, ut plurimum excitantur, qui ob tenuitatem in habitum corporis, artus præcipuè, & in venas capillares propellitur; è venis itaque hiſce faciliùs exhauritur materia illa peccans, quam ſi majores ſecentur, è quibus ſanguis laudabilis emittitur.

Majori fortaſſe fallacià Melancolicis hirudines

(g) *De curandi rat. per ſanguin. miſs. cap.4.*
(h) *Anatom. lib.3. part.2. cap.6.*

venis hemorroidalibus applicantur, Hippocratis (i) aphoriſmo conſulto. *Melancolicis, & nephriticis hemorroides ſupervenire bonum*. Non habità diſtinctione, quod aliud eſt venas hemorroidales ſpontè: aliud arte aperiri; quando ſpontè aperiuntur, id ex eo evenit, quia ſanguinis craſſus, & fæculentus in tranſeundo ab arterià ſedali ad venas conſocias impulſui reſiſtens inibi ſtagnat, ac turgentiam facit, donec illarum extremitatibus vim facit, ac talia purgantur qualia purgari oportet; at quando abſque tali prævià ſtagnatione ac turgentià, hirudines admoventur, quis non videt, non niſi ſanguinem tenuem ac feroſum extraduci, ad menſuram exilis foraminis quod ab illis aperitur? laudavit quidem Hippocrates ſpontaneam ab hemorroidibus cruoris eruptionem, ſed nunquam, & nullibi arte aperiendas conſuluit, niſi conſuetà ex illis evacuatione ſuppreſsà, alioquin quò Natura vergit eò ducere oportet, & admitto etiam, ut ducatur quò Natura vergere ſolebat, quando partes illæ intumeſcunt, ut conſuetum beneficium revocetur; at ſine hujuſmodi conditionibus memorià revocandus eſt Aphoriſmus (l). *Sanguinem quidem ſuperne efferri qualiſcunque ſit malum, inferne verò ſi niger deiiciatur bonum*, nunquam autem niger ex hirudinibus apparuit; hinc Galenus in Comment. *Infernè verò per hemorroidas profluere bonum cum nigra vacuantur ideſt cum Hominis natura multum humoris hujuſmodi* accu-

(i) *Aphor*.11. *lib*.6.
(l) *Aphor*.25. *Sect*.4.

accumulet; alioqui temerè non eſt vacuationi per hemorroidas aſſuefacienda natura. At quia venæ hemorroidales tres ſunt externæ à Cavæ ramo hypogaſtrico oriundæ, in muſculari ſubſtantià inteſtini recti ſerpentes, una eſt interna inſerta in ejuſdem parte membranosà, & venæ portæ propago, contendunt Aquapendens (m) & Riolanus (n) in morbis melancolicis, & hippocondriacis externarum aperitionem eſſe inutilem, utpote quæ ſanguinem floridum, ac purum evacuent, craſſum, & impurum intus relinquant, qui non niſi ab hemorroidali internà excerni poteſt, cui tamen aſſerto reluctatur Sennertus experientià doctus; ſi enim inquit in eos inquiramus, qui ex hemorroidibus commodum percipiunt, omnes ferè hippocondriacos eſſe animadvertes ſi verò quæramus, utræ hemorroides fluant externæ, vel internæ in pleriſque externas fluere, internas verò rarius aperiri, conſpiciemus, & proinde per illas non ſolùm plethoram, ſed etiam cacochimiam expurgari.

Rectę quidem Sennertus; ſed ut nos huic quęſtioni falcem ad radicem imponamus, ſatis erit advertere primò quod venarum uſus non eſt ferendi ſanguinem, ſed referendi; ſecundò quod vena hemorroidalis interna, teſte Bartholino (o), non habet arteriam concomitantem, ſolæ ergo arteriæ hemorroidales externæ ſanguinem repurgant, eædem-

(m) *De oper chirurg. cap. de hemorr.*
(n) *Antropographiæ lib.2. cap.17.*
(o) *Anatom. reform. libello de venis cap.4.*

demque ſanguinem refluum venis, tum externis, tum internæ hemorroidali diſtribuunt, & per conſequens nulla inter eas intercędit diſcrepantia.

Celebris, & antiqua controverſia inter Græcos, & Arabes inſurrexit cujus Author fuit Avicennas (p), nimirum in inflammationibus internis ſanguinem mittendi revulſionis gratia à parte contrarià. Doctrina quidem omnino oppoſita Hippocratis, & Galeni (q) documentis, quorum primus in Acutis. *Si dolor*, inquit, *ſurſum penetraverit ad claviculam, mammillam, vel brachium, internam brachii venam ſecare oportet, ab eà videlicet parte, quæ dolore fuerit affecta*; idemque repetit primò de morbis, & in epidemiis. (r)

Nec ſuffragari videtur communis Modernorum diſtinctio, ſanguinem ſcilicet extrahi, vel pro evacuatione, vel pro revulſione, in primà intentione è directo partis affectæ, in ſecundà ex parte contrarià mittendum eſſe, ut docet Avicennas, quem ſcholæ univerſæ ſequuntur, mens enim Hippocratis, & Galeni eſt, ut tam pro evacuatione, quam pro revulſione ſemper ſecundum rectitudinem extrahatur ab eadem parte. *Secundum rectitudinem*, ait Hippocrates in Epidemiis (s). *Et laterum dolores, & præcordiorum diſtenſiones, & lienis tumores, & ſanginis è naribus eruptiones, & aures, è directo, & horum plurima etiam ad ocu-*

los

(p) *Loco ſupra citato.*
(q) 4. *de rat. vict. in acut.*
(r) 1. *de morbis.* 6. *Epidem. ſect.* 2.
(s) *Locò citato.*

los &c. Si ergo humoris peccantis tranſlationem perpetuò Natura molitur ſecundum rectitudinem, quomodo Medicus qui Naturam imitari debet, hanc tranſlationem, ſeu revulſionem ad partem contrariam peragere pręſumet? Hinc Valleſius in commento. *Atqui hæc eſt maxima cauſa, qua in evacuationibus, aut revulſionibus, quas arte paramus, dictam legem rectitudinis ſervare debemus, nimirum eorum quæ naturaliter eveniunt imitatione.*

Non diſcrepat ab Hippocratis ſententià Galenus (t) ait enim. *Quibuſcunque eruptio ſanguinis ſecundum rectituditem accidit, ſummum commodum Ægrotantibus affert, &c. quibus verò contra ſanguis erumpit nihil juvat, aut etiam interdum nocet, quod ſcilicet vires citra morbi levamen deiiciat, atque exolvat, non enim in liene tumente, ex dextrà nare erumpens ſanguis, nec in jecore ex ſiniſtrà aliquam fert utilitatem, ſed revulſio in directum adhibita evidentem utilitatem celeriter oſtendit, quæ autem contra, nequaquam; dextrà igitur nare ſanguinem erumpentem ad dextrum pręcordium fixa cucurbitula clarè celeriterque ſiſtit, ſicut ad ſiniſtrum ex ſiniſtrà erumpentem: Porrò revulſionis cauſà ſi venam ſeces in iis quæ è directo fiunt ſanguinis eruptionibus, velociter conſpicuam videbis utilitatem.* Et capite ſequenti adhuc addit. (u). *Quin, & pleuriticis quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſſio clariſſimam ſæpè*

(t) *Lib. de cur. per ſanguin. miſs.*
(u) *Cap.* 16.

ſæpè utilitatem attulit, quæ verò ex brachio oppoſito, aut omninò obſcuram, aut certè poſt temporis intervallum. Eandem repetit doctrinam diffusè in (x) Acutis, in Methodo, & de criſibus. Nec deſunt Authores graviſſimi inter Modernos, qui contra communem ſcholarum, Hippocratis, & Galeni ſententiæ ſubſcribunt, ut ſunt Leonardus Fuchſius, Platerus, Mercatus, Valleſius, Rondeletius, Hollerius, Manardus, & alii quamplurimi.

Quo ad Galenum tamen non ſine ratione videtur inconſtantiæ, redargui ab Averroe (y) 4. enim methodi paulo ante ſcripſerat. *Si perpetuum eſt quod ab eo didicimus incipientem fluxionem ad contraria trahendam eſſe, fixam verò jam in laborante particulà vacuandam eſſe, vel ab ipsà particulà quæ afficitur vel à maximè vicinà, in promptu nobis, & de ſanguinis detractione colligere nunc eſt, quod in principio hæc à longinquo poſtea ab ipſis exulceratis partibus ſit emolienda.* Item 3. Methodi (z). *Manu enim laborante ſcarificabis crura, altero crurum male habente reliquum.* Et admirationem fortaſſe portendet, quod Valleſius in ſuo libello de locis pugnantibus apud Galenum, hujus etiam contradictionis mentionem non fecerit.

Immò ipſe etiam Hippocrates (a) in eandem contradictionem incidiſſe videtur in eo textu. *Cu-*

rare

(x) 4. *Acutor. comm.* 10. 13. *Method. cap.* 11. 3. *de criſib. cap.* 3.

(y) *Lib.* 7. *cap.* 29.

(z) 13. *Method. cap.* 1.

(a) *Lib. de Natur. human.*

rare oportet in ſectionibus longiſſimè ſecare à locis, in quibus dolores fieri conſuevere, & ſanguis colligi, ita enim minimè magna mutatio fiet, & conſuetudinem præcideris, ne amplius eodem loco colligatur; ſed de hoc textu infra diſferemus.

In hac opinionum varietate, & confuſione, in qua aliqui novis ſpeculationibus prodierunt è falsà anatome, ante circulationis notitiam deſumptis, ut Veſalius, alii rectitudinem, quam vult Hippocrates, non ad membrorum, ſed ad fibrarum quæ ſunt in venis rectitudinem detorſerunt, ut Fernelius, in hac inquam varietate, quæ tot celebres ex utraque parte numerat Authores, immò ipſi Hippocrates, & Galenns titubare videntur, opus eſt credere, quod utrinque aliquod lateat veritatis fundamentum, quod ex Democriti puteo expiſcari mereatur; quapropter explicari conabor quidquid rationabilis inter diſcrepantes Magiſtros colligere potui.

Concordemus primo loco de eo, in quo omnes ſunt concordes, revulſionem fieri ad partes longinquas, derivationem ad partes proximas, & quod in principio fluxionis, aut inflammationis convenit revulſio.

Addamus ſecundò id quod advertunt Valleſius, & Fuchſius, quando utraque viget revellendi, ac derivandi indicatio, utrique prudenter incumbendum eſſe; at, in principio inflammationis non tantum adeſt fluxio in fieri, ſed etiam in facto eſſe, alias non adeſſet dolor, tenſio, ac rubor, & hæc fluxio in facto eſſe ſollicitam exigit derivationem,

ante-

antequam humor adhuc fluidus majorem nanciſcatur denſationem ac ſtagnationem.

Tertiò igitur, ut derivari ſimul, ac revelli poſſit, convenit ſanguinis miſſio non ex parte propinquiſſimà, ut eſſet ſupra latus affectum in pleuritide; majorem enim traheret fluxionem ad partem ipſam; nec ex parte remotiſſimà, aut omnimodè contrarià, non enim derivationis neceſſitati ſatisfacere poſſet; optima ergo erit in pleuritide dextrà, phlebothomia ex brachio dextro, non admodum proxima, non admodum remota.

Quartò. Addamus cum Platero, quod ratione doloris, ac tenſionis venæ, parti inflammatæ finitimæ ſemper ſunt turgidiores, quam lateris oppoſiti; erit ergo utilior revulſio ab illis derivare, antequam in partem affectam exonerentur, quam revulſio quæ fit à toto.

Quintò. Diſtinguamus cum Mercato inflammationes externas, & abſque periculo, ab internis, & cum periculo; in illis poſſumus commodè curationem inchoare à revulſione totius, per partem remotam, & contrariam, in his verò, quia periculum eſt in morà debet fieri per partem proximam, qua ſimul, & evacuatio à toto, & derivatio ſimul, ac revulſio fit à parte inflammatà, illud enim, quod in hac jam eſt collectum, etſi paucum, tantum attamen minatur periculi, ut citiſſimam derivationem requirat; atque hæc, ut opinor eſt ratio galenicæ apparentis incoſtantiæ à Valleſio, inter alias, non recenſitæ, quia quando is loquitur de fluxionibus in genere, aut de exulcerationibus in manu,

manu, vel crure genericam proponit methodum inchoandi à revulſione remotà; at quando agit de pleuritide, aliiſve internis inflammationibus, tunc Hippocratem ſequens ſanguinem detrahit è directo lateris laborantis, ut ex teſtubus ſupra citatis liquidò innoteſcit.

Sextò aliam ab Hippocrate diſtinctionem deſumemus, æquivocationem illius contradictionis explicantes in eo textu de Naturà humanà: *Longiſſimè ſecare à locis*. Et hic primò advertere vos cupio, quod aliud eſt dicere, à loco remotiſſimo, aliud à loco contrario, poteſt locus eſſe remotiſſimus, & ſervare rectitudinem, quam in aliis textubus requirit Hippocrates, poteſt etiam locus eſſe contrarius, & non eſſe remotiſſimus, ut infra explicabimus.

Tres contrarietatum ſpecies communiter numerari conſueverant tribus corporis dimenſionibus reſpondentes, hoc eſt: *Surſum & deorſum, Dextrorſum & ſiniſtrorſum, Ante, & retrò*, ſapienter autem Galenus quartam addit: *Intra, & extra*, & in qualibet harum contrarietatum revulſio celebrari poteſt: fit ſurſum, & deorſum, quando in capitis dolore, aut præfocatione hiſtericà ſanguinem mittimus à pedibus: fit dextrorſum, & ſiniſtrorſum, quando in pleuritidis initio in latere ſiniſtro, ſanguinem cum Avicennà detrahimus à latere dextro; fit Ante, & retrò, quando in ophtalmià cucurbitulas, & veſſicantia humeris, aut, cervici applicamus; fit tandem, ab intra ad extra, cum in variolis, aut ſcabie ſcarificationibus utimur,

ac

ac balneis, ut à centro ad circumferentia trahamus.

At quoniam in Homine longè major eſt longitudinis dimenſio, quam latitudinis, aut profunditatis. Hinc eſt, ut rectitudo ſervari poſſit à latere dextro ad pedem dextrum, & tamen revulſio ſit per partem remotiorem, quam à latere dextro ad ſiniſtrum, aut à pectore ad dorſum, & propterea illud *Longiſſime ſecare*, ultimi textus non contradicat doctrinis antecedentibus de ſervandà rectitudine: Ulterius ſanguinem mittendo à latere ſiniſtro in pleuritide ejuſdem lateris ſervatur rectitudo quam jubet Hippocrates, & fit revulſio ad partem contrariam, hoc eſt ab intra ad extra, quæ eſt una ex quatuor contrarietatibus aſſignatis.

Sed aliam addamus diſtinctionem, & quæ omnem omninò difficultatem expurgabit, & omnem contradictionis ſuſpicionem in textubus Hippocratis. Duæ ſunt occaſiones, in quibus revulſionis neceſſitas occurrere poteſt. Prima eſt in morbi alicujus principio, ſive ſit fluxio, ſive dolor, aut inflammatio, & in hoc caſu convenit revulſio ſervatà rectitudine, & per partem non adeò remotam, nec adeò proximam, ut ſuperiùs probavimus.

Alter caſus eſt, quando morbus nullo modo adeſt, ſed ejus adventus, aut reditus metuitur, unde ſanguinem, ad præcautionem, detrahere conſulimus; erit aliquis, exempli gratià, fluxionibus podagricis, reumaticis, aut phlegmo-

noſis

noſis obnoxius , & libertatis tempore, per phlebotomiam maturè vult ſe pręmunire; in hoc caſu locum habet Hippocratis textus. *Longiſſime ſecare*, à parte nimirum magis remotà, immò magis contraria ; hic enim ſola competit revulſio , & à toto evacuatio , ut apparatus à parte conſuetà divertatur.

Quod autem Hippocrates in eo textu de ſimilibus caſibus intelligat, ex ejus lecturà fit manifeſtum; ait enim. *Longiſſimè ſecare à locis*, *in quibus dolores fieri conſuevere*. Non dicit, in quibus dolores adſunt, ſed in quibus fieri conſueverunt. Loquitur ergo non de morbo actuali, & pręſenti, ſed de habituali, & reverſuro, & propterea addit: *Et conſuetudinem præcideris*.

ANIMADVERSIO IX.

De Stuphis, ac Sudatoriis.

USus inter Medicos communis, & inveteratus victum exſiccantem iis, qui in hipocauſto ſudant imperandi, movit me ſeptemdecim ab hinc annis, ut de hac re diſſertationem facerem, in meo Apolline Bifronti, ibique ſuadere ſtudui talem victum incongruum eſſe intentioni ſudorem movendi; poſtulat nunc ordo, ut aliqua brevi paginà repetamus, ſatis namque eſt, illam diffuſiorem plura petentibus denunciaſſe.

Notum in primis eſt Hippocratis oraculum (b) experientià confirmatum. *Corpora ubi quis purgare voluerit, fluida facere oportet.* Si igitur ad evacuationes per ſeceſſum promovendas, quæ per amplos canales cholidocos pancreaticos inteſtinales præter labuntur, fluidos reddere humores oportet, quantò majori fluiditate indigebunt illi, qui per anguſtiſſimas cutis poroſitates ſunt expurgandi? at, quæ rogo fluiditas ſperari poteſt à pane biſcocto, uvis ſiccis, & carnibus aſſatis?

Secundò: Conſtat etiam ex Hippocratis doctrina, per ſudorem non ſolùm moveri humores calidos de ſui natura, ſed & arte magis incaleſcentes, optima ergo erit methodus viſcerum æſtuantium indemnitati conſulere victu humido potiùs,

quàm

(b) *Aphor.9. lib.2.*
(c) *Lib. de flatibus.*

quàm ſicco, quem caloris limam vocavit Ariſtoteles.

Tertiò: Cum ex diuturnà morà in hipocauſto, frequentibuſque ſudationibus continua fiat ſpirituum diſſipatio, alimentum requiritur, à quo facilis & ſollicita fiat eorundem reſtauratio, quæ proculdubiò non à cibis ſolidis, & ſiccis, ſed à juſculis, pulmentis, & ovis ſorbilibus comparatur, juxta illud ejuſdem Hippocratis (d): *Potu faciliùs eſt refici, quàm cibo.*

Quartò: Quotidianà experientià veritas hæc roboratur; ſi enim Ægrotanti lapidem Bezoar, Cornu Cervi, aut aliud conſimile diaphoreticum exhibeamus in formà ſiccà, ſine juſculi, aut aquæ alicujus potione, ſudorem fruſtra expectabimus; ſi è contra in ſtatu febris, copioſam aquæ Scorzonerie, Cardui benedicti, aut etiam hordei potionem propinemus, immò etiam aquæ communis, ābſque ullo diaphoretico, ſudabit Ægrotus.

Curationem aggreſſus fui pluribus ab hinc annis cujuſdam Mulieris gracilis, languidæ, & valdè extenuatæ, gallicis doloribus, & gummi, in capite, pectore, & brachiis refertæ, illius ego debilitatem metuens ſudationes domi, & in lecto imperavi, cum jure conſumpto ſalſæ parillæ Septalii, & victu humectante, ſed optimæ ſubſtantiæ ex Caponibus, Gallinis, & Vitulinà carne elixatis, ovis ſorbilibus, & fructibus coctis, bibere illi ad ſatietatem permittens; hac methodo diebus vigintiquatuor copioſè ſudavit, gummata ſoluta eva-

(d) *Aphor.* 11. *lib.* 2.

evanuerunt, & non modò perfectè convaluit, ſed pinguior quam antea à Stupha eſt egreſſa.

Conſimile exemplum mihi narravit celeberrimus Antonius Placentus Collega meus, omni ſtudio laudandus in curatione Rev. Patris Ottolini Societatis Jeſu, cui ſemiparalyſi laboranti, cum ex Medicorum conſulto ſudationes cum victu exſiccante fuiſſent præſcriptæ, ipſe in victum humidum permutavit, cum pulmentis cicorei, & borraginis, quamquam Ægrotus habitu eſſet pingui, ac tali methodo ſimiliter convaluit.

ANIMADVERSIO X.

De Veſſicantibus, & Fonticulis.

DAmnabilis Veſſicantium abuſus à gregariis Medicis cuilibet morbo indiſcriminatim pręſcriptorum fuit in causà, triginta ferè ab hinc annis, ut diſſertationem de abuſu Veſſicantium typis mandarem, quę poſtea in meo Apolline bifronti fuit cum aliis inſerta: ad illam ergo Studioſos remittens, aliqua duntaxat brevitèr, & compendiosè huc transferre cogitavi.

Veſſicantia præſcribi ſolent, aut in morbis localibus, aut in morbis univerſalibus, nempè febribus. In morbis localibus, dummodò non ſint inflammationes, propè applicita, negari non poteſt, magna & efficacia eſſe remedia revellentia, & evacuantia, ut pluries in praxi obſervavi in morbis oculorum, ſurditate, aphonià, Idrocephalo, & capiplenio, cer-

cervici, ſuturis cranii, & retro aures inflicta, in præfocationibus hiſtericis ad fœmora, & in doloribus internis contumaciſſimis alicujus membri, ad partem illius externam, è directo adhibita, ut in iſchiade, aliiſque morbis arthriticis, ſine febre.

In febribus propemodum eſt, ubi frequentiſſimus eſt Medicorum error, cuilibet febrium ſpeciei, dummodo ſit periculoſa, & gravis applicantium, non ſine magno illorum febricitantium, quibus non conveniunt, prędjudicio.

Febrium humoralium duę ſunt claſſes, alię ſimpliciter acutę & inflammatorię, alię verò malignæ. In acutis ſimpliciter & inflammatoriis, nullus Author proponere eſt auſus veſſicantia, præter unum Villiſium, qui utitur illis in peripneumonià; quantà utilitate ipſe noverit, me enim aſſeclam non habebit; immò Heurnius, licet alias Veſſicantium Encomiaſtes, in his expreſsè prohibuit: *Acutis morbis non admovendum*, & Ætius: *In calidis, & ſiccis affectionibus his ego non utor*.

Solæ ergo remanent febres malignæ, in quibus locum habere poſſunt, ſed harum meminiſſe oportet, quod, venenorum ad inſtar, aliæ ſunt coagulantes, aliæ diſſolventes: ſicut itaque in coagulantibus, veſſicantià utilia eſſe poſſunt, tanquam remedia diſſolventia, ita in malignis ex diſsolutione extremè pernicioſa cenſenda erunt; ſedulò ergo, propriis à ſymptomatibus alterutra erit diſtinguenda, quæ tali pacto numerabimus.

In malignà febre ex coagulo, calor erit valdè

 mitis,

mitis, cutis, aut extremorum refrigeratio, pulſus parvus, cordis anguſtia, punticulæ, aut alia exanthemata, linguæ ariditas, ad ſomnum propenſio.

At maligna ex diſſolutione, ſæpè incipit cum ardore vehementi movens in ipſo principio diarrhęas, ſudores diaphoreticos, urinas colliquativas, ſanguinis abſque fibris effuſiones, aut ſtillas è naribus funeſtas, virium proſtrationes, ſincopes, convulſiones; legite in epidemiis (e) (præter alios in diſcurſu de Veſſicantibus allatos) Nicoſteni caſum, qui in ſimili febre ex diſſolutione curatus fuit ab Hippocrate, non veſſicantibus, ſed ſuccis granatorum, & pomorum, & decocto lentis, & farinæ.

Quo ad fonticulos magnam inter Authores invenio diſcrepantiam, aliis laudantibus tanquam efficacia remedia adversùs fluxiones, alioſve cronicos morbos, & habituales, & inter hos universà hiſpanicà ſcholà, quæ rarò uno duntaxat eſt contenta, ſed ut plurimum binos præſcribit, aliis è contra exprobrantibus tanquam noxios, & ſucci nutritii deſtructores, aſſerentibus cum Roderico de Caſtro (f) nil aliud eſſe falſum illud pus, quod è fonticulis diſtillat, quam partis alimentum corruptum, cui quidem opinioni favet experientia, & obſervatio, quod brachium, aut crus fonticuli, cum altero brachio, aut crure comparatum longè ſubtilius, & extenuatum invenitur.

Ego

(e) *Lib. 7.*
(f) *Lib. 4. Quæ ex quib.*

Ego tamen, etſi hujuſmodi remedii non admodũ ſim amicus, illiuſque abuſum, nimiamque Medicorum in eo præſcribendo facilitatem abhorream, negligere tamen nolo inveteratam experientiam, & obſervationem, quæ pluribus in Morbis pertinacibus utiliſſimos teſtata fuit; & in eandem deſcendit ſententiam ſupracitatus Rodericus de Caſtro, qui poſtquam longo ratiocinio, illorum æſtimationi derogavit, addit tandem: *Ne verò me quiſpiam à fonticulis omninò abhorrere exiſtimet, frequentiam duntaxat damno, & indiſtinctum eorum uſum; fonticulos aliquando, cum maximà Patientis utilitate me aperuiſſe teſtor, atque confiteor.* Proſequitur deinde caſus proponere, in quibus eorum uſus erit conveniens.

Primò, reſpectu qualitatis materiæ peccantis, quando hæc ſit vaporoſa, vel pituitoſa, aut ſaltem fluida ac diluta fonticulos admittit.

Secundò, reſpectu quantitatis, quando ſcilicet morbus eſt gravis, & exitus undecunque requirit.

Tertiò, quando per loca vacuationibus naturaliter conſueta deficit exitus neceſſarius.

Quartò, quando per genus nervoſum, & muſculoſum fluxiones vagantur: *Ubi hæ concurrunt circumſtantiæ*, concludit, *ne hoc quidem relinquendum.*

Supradictis circumſtantiis tres alias placet adjungere. Prima eſt, quod quemadmodum pinguibus, & obeſis cauteriorum uſus eſt neceſſarius, ut humiditas ſuperflua excoletur, ita gracilibus, & extenuatis perniciosa cenſenda ſunt, ut emacia-

tionem adaugentia.

Secunda, quod in quibuſdam corporibus, aut temperamentis ſanguine atrabilari, & cancroſo ſcatentibus, non ſine evidenti periculo infliguntur, cum non rarò contigerit partem inuſtam corrumpi, & in cancrenam, vel cancrum degenerare.

Tertia denique, quod multoties Infantibus recens natis, aut lactantibus utiliter inuruntur, quia capite ſunt nimis craſſo, & pituitoſo, aut epilepticis inſultibus obnoxii, in quibus caſibus opportunum eſt per multos menſes adaperta relinquere; cautio tamen habenda eſt, ne diutius, quam oporteat conſerventur; pluries enim eorum pravum exitum obſervavi, ob diuturnam ſucci nutritii excolationem. Matronæ cuidam nobiliſſimę cum duo Infantes Epileptici, morte fuiſſent ſublati, tertium ſervaturi, ſtatim nato fonticulum inuſſimus, & apertum reliquimus; poſt triennium, cum nec pedibus regeretur, nec dentes adhuc erumperet, Matri conſului, ut fonticulum clauderet, cui ſucci nervei jacturam tribuebam: renuebat præ metu Mater, ſed tandem clauſit, quo vix clauſo, poſt octiduum, & ambulandi vim habuit, & dentes apparuere, hodieque cum Uxore, & filiis optimà fruitur valetudine, ac virium robore; alteri pariter Patritio Puerulo, qui ob aliquas infantiæ ægritudines fonticulum uſque ad novennium retinuit, ſed in inceſſu, fœmoris unius imbecillitate laborabat fonticulum claudi juſſi, quo ſublato vigorem in fœmore, colorem in facie, & augumentum totius, quam citò acquiſivit.

ANI-

ANIMADVERSIO XI.

De Paracenteſi.

ADeo exoſa eſt hoc noſtro ſæculo Paracenteſis operatio apud Hidropicos, ut nullus penè ſit Author qui eam non vituperet, aut Medicus, qui tentare audeat, preterquam in caſu jam deſperato, & Ægroto in extremis laborante, quo tempore majorem inviſo remedio conciliat infamiam, nam Ægrotans poſtridie ſolet interire. Primi inter Antiquos ad Paracenteſim damnandam fuere Eraſiſtratus, & Avicennas, quorum rationibus optimè reſpondent, inter Veteres Cornelius Celſus, inter Modernos Ambroſius Parens; immò Celius Aurelianus, hæc aſſerit. *Qui proferre audent, omnes quibus ventre ſecto aqua emiſſa eſt mortuos, mentiuntur, multos enim ipſi hoc remedii genere convaluiſſe vidimus; quod ſi qui perierunt, contigit id, vel tardius, vel negligentius adminiſtratæ paracenteſeos culpà.*

Sapientius illam proponunt, & approbant Hippocrates in Epidemiis, in Aphoriſmis, & alibi, & Galenus in Methodo (g) cum itaque plenæ ſint hiſtoriæ contrariorum caſuum, in quibus talis operatio modo funeſta, modo ſalutaris evaſit, optima methodus erit diſtinguere quando tuta ſit atque utilis operatio, quando verò inutilis, & noxia, ne curationis genere orbemur non minus fa-

(g) 14. *Meth.*

facili quam proficuo, quando opportunè adminiſtretur.

Dico igitur illius opportunitatem, ac fælicitatem à tribus circumſtantiis pendere, nimirum à qualitate hydropis, à tempore faciendi, & à modo exequendi.

A qualitate hydropis. Excluduntur enim ab hac operatione omnes hydropes qui aliis morbis acutis, aut cronicis ſupervenere, puta febribus ardentibus, diarrheis, hemorragiis, obſtructionibus, & cachexiis inveteratis; excluduntur etiam, qui febrem hecticam habent concomitantem, uno verbo omnes illi, qui notabilem præſeferunt viſcerum læſionem, ut iidem Hippocrates (h), & Galenus monitum fecere. Alacriter è contra eſt facienda in ea hydropis ſpecie, quæ, non in cavitate abdominis aquam colligit, ſed inter duas illas membranas intruditur, quæ peritoneum conſtituunt, & modo in una parte, modo in altera ejuſdem peritonei, modo in toto fit collectio, & hujus hydropis ſignum contradiſtinguens eſt Exonphalos, hoc eſt Umbilicis prominentia. Tuta etiam atque utilis erit ſectio in hydrope, qui de repente contingit, aut propter largum aquæ potum, aut propter urinæ retentionem.

Quando debeat fieri ſectio documentum reliquit Hippocrates (i) in epidemijs *Hydropicos ſtatim ſecare, tabeſcentes ſtatim urere*. At quando in principio neglecta fuerit operatio, tempus adhuc erit an-

(h) 2. *prorhetic.* 14. *Meth.*
(i) *lib. 6. epid. ſec. 7.*

antequam viſcera ſint corrupta, ut inquit Galenus; dicam ego antequam febris ſiat continua, quæ malum viſcerum ſtatum nobis indicat; nam, ut ait Hollerius. *Aqua Hydropicorum diù retenta contrabit malignitatem quandam, & putreſcit, & putrefacta corrumpit partes vicinas, hinc fit, ut in Mortuis reperias aquam lixivio ſimilem, omentum putre, viſcera veluti ſyderata.*

Modus exequendi duas comprehendit circumſtantias, una eſt locus ubi ſectio eſt facienda, altera eſt diſcretio in aquæ menſurà extrahenda. Sectio, ut docet Pareus, & praxis communis fieri ſolet tribus digitis ſub umbilico, lateraliter tamen ad dextrum, vel ad ſiniſtrum vergens; hac etiam cautelà, ut fiat ſectio in parte contrarià, illi, qua Æger jacere ſolet, aut cogitur, ne ob ſitus declivum aqua erumpat inopportunè. Andreas autem Laurentius conſulit facere operationem in ipſo umbilico, eo quia, quo Natura vergit eo ducere oportet; quamplurimis autem Hydropicis rumpi umbilicum obſervatur, & aquam effundere, nec convulſio metuenda eſt muſculorum causà, quorum extremitates ibi terminantur in lineam albam, ii etenim circa umbilicum ſunt perforati, ut vaſis umbilicalibus aditum præbeant. Sed hoc Laurentii conſilium locum habere poteſt in illo hydrope, in quo fit exonphalos, ut ſupra explicavimus. Altera circumſtantia eſt diſcretio in aquæ menſurà extrahendà, quæ non debet excedere decem, vel duodecim uncias pro ſingulis vicibus, & Hollerius totam atque integram operationem extendi

vult

vult ad duodecim dies, eo quod aſlatim extrahendo ſæpè à deliquio ad interitum migravere.

Alteram poſtremò cautelam addamus, quæ tum ad modum operandi, tum ad hydropis qualitatem ſpectare videtur; nimirum primà operationis die paucas aquæ uncias extrahere, illamque in patinà ad ignem ponere, ut noſcamus an ſit ſerum urinoſum, & non ſtringetur, an verò lympha nutritia, & ſtringetur; ſi ſerum urinoſum, erit operatio cum minori periculo, ſi lympha nutritia, ceſſet omninò operatio, illius enim extractione mors eſt in foribus.

Placet ad hanc rem enarrare quod mihi ante biennium cum Hydropicà contigit; erat hac adeo ventricoſa, ut videretur in inceſſu Baccus equitans ſuper dolium;erat ejus umbilici exonphalos,ad magnitudinem pomi, ſed ab extrema tenſione Excoriatus, ut exinde aqua guttatim diſtillaret; ventris etiam univerſi cutis ſciſſuris erat ſudantibus referta, ita ut totalis ruptura jam jam immineret; febris tamen omninò erat immunis, quapropter citam paracenteſim illi conſului, antequam facta integrà diſruptione irreparabilis ſequeretur effuſio: promptam ſe oſtendit Mulier ad opus, juſſi tamen ut unica duntaxat libra dietim extraheretur: at Chirurgus temerarius unicà vice octodecim aquæ lagenas extraxit (Vulgò *boccali*) quo audito morituram credidi procul dubio; rediens tamen ad illam inveni viribus conſtantem, & poſt hebdomadam pedeſtris abiit ad vineam cujus erat cuſtos.

Hæc dum ſcribebam decennis alterius Hydropici

ad

ad conſultationem vocatus fui, qui licet admodum eſſet extenuatus quia tamen febre carebat paracenteſi opportunum judicavi, quæ plurium dierum ſpatio fuit celebrata, aquam pedetentim extrahendo, quotidiè uſque ad duas libras, & à morte imminenti fæliciter evaſit, nam præ extremà ventris intumeſcentià cibum capere amplius non poterat, & jam ſe cultro perforare decreverat, ſi Medici renuebant.

ANIMADVERSIO XII.

De Balneis.

TRia documenta ab Hippocrate (l) ſeligemus inter plurima, quæ in Acutis ſcripta reliquit, quorum primum erit textus ille; *Multæ quoque aquæ mixturæ fiant*. Hoc eſt, ut interpretatur Galenus, antequam à balneo egrediatur, aquæ calidæ, altera tepidior miſceatur, & altera adhuc tepidior, ac tandem altera quæ ad frigidum vergat. *Ne facile Homo lædatur ſi ſubita quædam in ambiente aere ad frigidum fiat permutatio*.

Secundum documentum. *Neque lavari debet qui nuper, vel ſorbitionem, vel potionem ſumpſit; ac ne à lavacro quidem illicò, vel ſorbere, vel bibere convenit*. Rationem reddit Galenus (m). *Nam qui biberunt iis caput repletur, qui verò cibum ſumpſerunt iis, non modo caput, ſed, & corpus* to-

(l) *Comment.* 3. *text.* 48.
(m) *text.* 54. *&.* 55.

totum ad ſe alimentum, prius quam concoctum ſit attrahit. Explicemus magis mechanicè, abſque eo quod vocabulo illo attractionis abutamur, dicentes, quod à balnei calore, & humiditate rarefiunt tunicarum poroſitates tum ſtomaci, tum inteſtinorum, immò relaxantur ac dilatantur venæ lacteæ, hinc plurimum liquidi crudi intra vaſa, & carnium ſpatia intempeſtivè inſinuatur, quod ęquè continget, ſive cibus immediatè pręcedat, ſive ſequatur balneum.

Tertium documentum continet exceptiones, ſive circumſtantias, quæ balneum excludunt, (n) *Qui per morbos citatiore ſunt alvo, quam ſit opportunum, aut quibus ſupra modum alvus adſtricta non ducitur, ii lavandi non ſunt*.

Audiamus hic Galeni rationem, ſed à ratione alienam. *Quibus*, inquit, *plura per ventrem ſubducuntur, iis balneum ſiſtit alvum, & ad corpus univerſum revellens, atque hac ratione lædit*. Sed quem, rogo, ſuadebit Galenus, à balneo alvi fluxum reſtringi? immò magis relaxari credendum, & idcirco ab Hippocrate prohiberi, verba textus malè à Galeno perpenſa manifeſtè convincunt; ait enim Hippocrates. *Qui per morbos citatiore ſunt alvo quam ſit opportunum*. Si ergo alvi ſolutio major eſt quam ſit opportunum, illamque balneum remoraretur fieret aliquid opportunum, & per conſequens prohiberi non deberet, ideo tamen prohibet, quia excedens illa ſalutio per balneum augeretur.

Ma-

(n) *text.* 58.

Major videtur eſſe difficultas in alterà exceptione. *Et quibus ſupra modum alvus eſt adſtricta*, quia ſi verum eſt, ut non dubito à balneo ventrem lubricari, cur prohibet ſtipticitate laborantibus? Sed Hippocratis ſenſum rectè hoc loco interpretatur Galenus inquiens. *Eos qui nullo modo dejecerunt, vetuſtam fæcem ante evacuaſſe melius eſſe, nemo eſt qui neſciat*. Alioquin calidà balnei humiditate ad caput & ſtomacum vapores emitterent. proſequitur Hippocrates.

Neque iis, quibus imbecillæ ſunt vires, aut qui faſtidio, aut vomitione affecti ſunt, aut qui bilioſa ructant, aut quibus ſanguis è naribus profluit, niſi minus quam occaſio expetit effluat. Quod ait de ſanguine, è naribus valet etiam à qualibet alia parte, ſive ab hemorroidibus, ſive ab utero, ſive à pulmonibus, niſi fortè ubi hemorragia ſit critica, nec ſatis efflueret, tunc enim expedit illam promovere, ut cum Metone ipſe Hippocrates exercuit in Epidemiis (o), cui ſanguinis guttis, è naribus quarta die apparentibus capitis lotionem imperavit.

Miratur Leonardus Fuchſius (p), & eo non minus ego, noſtris temporibus à pleriſque Medicis balneum febricitantibus prohiberi, quando Hippocrates, Galenus, Avicennas, Trallianus, & Paulus Ægineta, omnes unà voce laudant in omnibus febribus, immò contra Valleſcum de Taranta acriter invehitur, quia in tertianis exquiſitis ait ſu-

(o) 1. *epidem. comm.* 3. *Egr.* 8.
(p) *lib.* 2. *paradox. cap.* 10.

ſudorem ſufficere. *Antiqui*, inquit Valeſcus, *imperabant balneum aquæ dulcis, quoniam tamen hæc febris iam brevis à Vulgaribus cognoſcitur, ideo talibus ſudaſſe in fine acceſſionum ſufficit*. At Fuchſius non ſine deriſu illi reſpondet. *Staltiſſimum eſt quod ait, hodie à balneo prohibendos eſſe, quia in acceſſionis fine ſudent; an non Hippocratis, Galenique temporibus ſudarunt quoque febricitantes Valleſce? An Naturæ ordinem inverſum ſuſpicaris? Videant itaque ſtudioſi quam ficulnea ſit Valeſci ratio, ut puer penè illam refellere poſſit*.

At Fuchſii pace ſit dictum, haud mihi videtur Valeſci ratio tantà cenſurà digna eſſe, nec is, noſtris tantum temporibus, quaſi inverſo Naturæ ordine, ſed nec Hippocratis, & Galeni temporibus balneum eſſe neceſſarium aſſeruit in febribus, quæ ſudore terminantur; immò addo ego nec adeo tutum eſſe ejus uſum in talibus febribus; Peto enim à Fuchſio, quo tempore ponendus in balneo ſit febricitans? Certè in declinatione febris, ut omnes conveniunt. *Non enim quovis tempore febricitantes lavandi ſunt, ſed in acceſſionis remiſſione*. Scripſit Galenus (q), at in declinatione ſudor apparere ſolet, an ergo tunc temporis in balneum eſt mittendus Ægrotans? an ante ſudorem? an poſt ſudorem? non tempore ſudoris, deliquium enim illi cauſaret nimia tranſpiratio; non ante ſudorem, non enim adhuc eſſet declinatio, nec poſt ſudorem, tunc enim ad infebricitationem tendens reſtauratione potius, quam novà per balneum ſpiri-

tuum

(q) *lib.* 8. *Meth. cap.* 3.

tuum diſſipatione indiget. Mea igitur eſt ſententia in febribus quæ quotidiè cum ſudore ſolvuntur balnei uſum inutilem eſſe, quippe quia ejus utilitas in promovenda tranſpiratione conſiſtat; ubi autem ſenſibilis per ſudorem tranſpiratio, non eſt ſufficiens, multò minus erit inſenſibilis, immò ex dictis ſuperius noxa étiam ex illo reſultare poterit, quod ſi Galenus (r) etiam in tertianis intermittentibus illius uſum probaverit, id in illis duntaxat admitterem, quæ, & ſudore careant, & ſeptem circuitus ab Hippocrate definitos præterlabantur; prçterquam quod memorià tenendum, Galenum eo ſeculo ſcripſiſſe, & in ea urbe, ubi balneorum uſus cunctis erat familiaris, & quotidianus, & proinde ſubdit. *Et qui balneis admodum delectantur, ſi etiam bis in die lavare permiſeris non errabis.* Adde etiam quod tunc temporis chinæ chinæ confugium non aderat, à qua in febribus intermittentibus breviori vià prçſidium expectamus.

Duo balnei genera cõmuniori praxi ſunt uſualia, Balnea aquæ dulcis, & Aquarum ſulphurearum, quibus noſtra Italia ubique ferè eſt locupleta; horum virtutem eximiam ſilentio pretire nolo in diſſolvendis nervorum contractionibus, & ligaturis articularibus. Jamdiùmihi narravit Patritius quidam Romanus, contra ejus palatium Curialem quendam olim habitaſſe adeo arthritide mancum, & præpeditum, út à decennio ante, domo egredi non potuerit. Hic audiens prope urbem Hortam ſuam patriam rivulum quendam aquæ ſulphureæ

E ap-

(r) *lib.* 1. *de Arte curat. ad Glaucon. cap.* 9.

apparuiſſe, cujus balneo à doloribus articularibus quidam alius convaluerat illuc lecticà transferri curavit ibique pluries balneatus adeo liber evaſit, ut ad oppidum quatuor milliaribus diſtans pedeſter ambulaverit, Patritium illius Dominus inviſurus.

Hoc exemplo, quod mihi à prima juventà memoriæ fuit impreſſum, cum ante decennium ad curationem Juvenculæ Monialis acceſſerim, quæ per bienninm, & ultra contracta, & conuvlſa, alienis brachiis atque humeris in Chorum ferebatur, Ego quia ad balneum mittere non poteram, balneum ad eam accedere curavi, aquam nempe ſulphuratam in via tiburtinà, cujus uſu, quindecim dierum ſpatio, omninò convaluit.

ANIMADVERSIO XIII.

De morbi naturà diſtinguendà.

QUia plurimi ſunt Morbi, qui contrarios humores & intemperies in cauſam recognoſcunt, ut Colicus dolor, arthritis, diarrhæa, ſtomaci debilitas, aliique non pauci, non ſatis eſt Medico morbum cognoſcere, niſi cauſam morboſam ſimul noverit, quæ interdum latens ſignis duntaxat æquivocis ſe manifeſtat.

Tria igitur in his caſibus conſilia ex Hippocrate (s) colligo diverſis in locis inſinuata. Primum eſt examen Ægroto faciendum ſuper cauſas antecedentes. *Cum ad Ægrotum deveneris interrogare opor-*

(s) *Lib. de affectionib.*

oportet quæ patitur , & ex qua cauſà , & quot jam diebus , & an venter ſecedat , & quo victu utitur &c. conſideratis enim ciborum qualitatibus , animique paſſionibus, iræ ne, an timoris , aut melancoliæ, non difficilis elicietur conjectura, ut proſequitur in textu : *An morbus à bile , aut pituità factus ſit , aut utriſque .*

Alterum conſilium ab eodem ſuggeritur in Epidemiis : (t) *Occaſiones , undè ægrotare cœperint conſiderandæ , ſive capitis dolor , ſive auris , ſive lateris ; ſignum autem in quibus dentes , in quibus bubones .* Occaſionis nomine non intelligit hìc Hippocrates cauſas procatharticas , ſed ea ſymptomata , quæ febrem interdum anteire ſolent , vel alium morbum , quibus cœpit ægrotare , ut clarè explicant exempla illa ; *Sive capitis dolor , ſive auris , ſive lateris , ſignum autem , in quibus dentes , in quibus bubones .* Sint duo febricitantes (ut Hippocratis dilucidemus exemplum) quorum alteri præceſſit dolor dentium , alteri bubo venereus; erit primi probabiliter febris lymphatica, ſeu catarrhalis, alterius verò febris putrida gallica . Laboret aliquis ſtomaci ſimul , & capitis dolore , (& eſt exemplum Valleſii in Commentario) debet Medicus inquirere uter præceſſit , ſi enim ſtomaci dolor , aut alia affectio primatum habuit , capitis dolor erit per conſenſum , ſi verò è contra , ſtomaci dolor erit ſympaticus ; Addamus nos tertium exemplum . Habeat aliquis propenſionem ad vomitum , vel cibum non retineat , præceſſit autem

(t) *Epid. lib.2. ſect.1. text. 22.*

ac perſeverat dolor nephriticus, quis dubitabit vomitum non ex ſtomaci vitio, ſed ex renum per nervos conſenſu ortum duxiſſe.

At quando, nec à cauſis procatharticis, nec à ſymptomatibus præcedentibus lumen ſufficiens Medico eluceat pro diſtinguendis morborum differentiis, tertium ab Hippocrate (u) conſilium habemus. *Morbum ſi quis non cognoſcat, medicamentum bibendum præbeat non fortè; ſi itaque levior inde fiat, demonſtrata via eſt, quod gracilitatem inducendo curandus eſt, ſi verò non levior reddatur, ſed pejus ſe habeat, contraria facienda ſunt, ſi non profuerit gracilem facere, tumidum facere conducit, & frequenter permutare.* Mens Hippocratis eſt, quod cum ſit Medicina, ut ipſe alibi definivit, detractio & adjectio, in morbo obſcuro tentetur detractio levi pharmaco, quo ſi Æger melius habeat, detractione curandum eſſe ſignum apparuit, ſi verò è contra incommodum referat, adjectione opus eſſe indicabit.

At enimverò hæc regula detractionis, & adjectionis quantum in ſe includat fallaciæ, exemplo demonſtrabo; Laboret aliquis internà viſceris alicujus inflammatione, quam tamen Medicus nondum agnovit; propinet medicamentum non forte; certè ex illo deterius ſe habebit Ægrotans; ergone adjectionis neceſſitas inde reſultabit? nequaquam immo victus tenuis, & detractio, ſed per phlebothomiam eſt facienda non per medicamentum.

Puto igitur ego hanc Hippocratis regulam medica-

(u) *De locis in Hom.*

dicamentum non ſorte exhibendi, non tantum inſervire pro determinandà detractione, vel adjectione, quantum ad detegendam partem læſam, & humoris peccantis qualitatem, cum enim per medicamentum humores agitentur & moveantur, facilè eſt partem laborantem, aliquo ſymptomate ſe manifeſtare, præterquamquod ipſa evacuatio humoris peccantis qualitatem demonſtrabit, ut propemodum contigit Galeno, (x) qui dolores ſuos nephriticos credens, colicos tamen eſſe certior factus fuit, injecto clyſtere, à quo pituitæ actu frigidæ evacuationem reportavit.

ANIMADVERSIO XIV.

De ſignis prognoſticis, & primo de facie, & decubitu.

COgnito morbo, ejuſque cauſis, de ejuſdem gravitate, vel levitate judicium faciendum, ex ſymptomatibus concomitantibus, aut ſupervenientibus, quæ ſigna prognoſtica conſtituunt; de his plura, & pluribus in locis dictavit Hippocrates, è cujus fonte inexhauſto nos meliorem ſuccum exprimemus, opportunas addendo conſiderationes, ut ęquivocationes evitentur.

Duę res primis Medicorum obtutibus occurrunt cum ad Ægrotos ingrediuntur, facies nimirum & decubitus, utrunque graficè deſcribit Hippocrates

 tes

(x) 2. *De loc. aff. cap.* 5.

tes (y) à facie inchoando: *Conſiderare oportet per morbos acutos, primum quidem faciem Ægroti, an ſimilis ſit bene valenti, maximè autem ſibiipſi.* Non ſufficit facies ſimilis faciei ſanorum, ſed ſimilis debet eſſe ſibiipſi, hoc eſt illi, quam Æger in ſanitate habere conſueverat; ſi enim aliquis ſanitatis tempore pallidus naturaliter erat, in morbo autem fiat rubicundus, erit quidem facies ſimilis ſanis, ſed non ſibiipſi, & proinde morboſa; hinc rectè Cornelius Celſus: *Quicunque coloratior, ac ſpecioſior, quam antea factus eſt ſuſpecta ſua bona habere debet.*

Sequitur Hippocrates. *Quæ verò maximè contraria eſt ſimili, peſſima, talis autem erit: Naſus acutus, oculi cavi, tempora collapſa, aures frigidæ, & contractæ, & fibræ aurium perverſæ, & cutis in fronte dura, intenta, & arida, & color totius faciei chlorus, vel niger, & lividus, vel plumbeus.* Talem videntes aſpectum in morbi principio, monet Hippocrates ut interrogent, an præceſſerit longa vigilia, longa fames, aut maxima ventris diſſolutio, in quo caſu non ita funeſtum erit ſignum, ſub ſpe, quod talium rerum remotione Æger reſtauretur.

Decubitus, ita ab Hippocrate (z) deſcribitur: *Cubantem oportet deprehendi Ægrum à Medico in latus dextrum, vel ſiniſtrum, & brachia, cervicem, & crura paululum redacta habentem, & totum corpus molliter conſtitutum, ita enim plurimi benevalentium cubant; ſupinum verò jacere, & bra-*

(y) *Prognoſt. cap.2.* (z) *Prognoſt. cap.3.*

brachia, & cervicem, & crura exporrecta haben-tem minus bonum; ſi verò declivis fiat, & delabatur à lecto in pedes gravius eſt. Supinum jacere non raró laxitudinis eſt ſignum in Homine laboribus dedito, vel qui ſupradictas cauſas famis, vigiliæ, alvi fluxus &c. paſſus fuerit, quare in hoc decubitu eædem cadere poſſunt exceptiones.

Si autem inveniatur pedes nudos habens, cum non ſint admodum calidi, & manus, & cervicem, & crura inæqualiter diſperſa, & nuda malum, conturbationem enim ſignificat. Cavendum tamen ne ex cubiculo nimis calido, ac tempore æſtivo, neve ex motu bilis ad ventriculum, & cardialgià tales conturbationes cauſentur, in quo caſu decubitus ille non eſt adeò formidabilis.

Mortale autem, & hiantem dormire ſemper. Interrogetur an ita dormire ſit conſuetus, cum in aliquibus vitium ſit habituale; quæratur an naſus corizà, aut polípo ſit obſtructus, tunc enim non erit ſignum ſignificans.

In ventrem cubare cui non eſt conſuetum cum bene valeret ita dormire, deſipientiam ſignificat, vel dolorem locorum, quæ circa ventrem ſunt. Multi, & præſertim Pueri hanc habent conſuetudinem.

Velle autem reſidere Ægrotantem in morbi vigore, malum quidem in omnibus morbis acutis, peſſimum autem in peripneumonicis. Significat enim aut delirium, aut maximam inquietudinem, & viſcerum incendium, aut magnam ſpirandi difficultatem.

Poſt primos hoſce aſpectus, ac decubitus oc-

curſum, obſervet ſedulò Medicus cætera ſymptomata magis notabilia, quorum epitomen faciemus in ſingula ſenſuum organa, & præcordiorum excurrendo, tum etiam in actiones, & excretiones.

ANIMADVERSIO XV.

De prognoſi ab organis ſenſuum, & Præcordiorum.

De Oculis.

L*Acrymæ involuntariæ, oculus altero diminutior, pupillæ ſine ſplendore, ſubli*[illegible]*s, & eminentes, album oculi rubeſcens.* Cave, ne immineat criſis per hemorragiam è naribus, quam ſæpè anteire ſolent lacrymæ involuntarię ita etiam oculi eminentes apud ebrios, & vomentes apparere ſolent.

De Auribus.

Aurium ſordes dulces lethales pronunciavit Hippocrates in Epidemiis (b), quod fieri per cerebri colliquationem putavit Galenus, falsò tamen, nam, nec talis colliquatio eſt poſſibilis, nec vię patent à cerebri ſubſtantià ad aures externas; illius autem excrementi amaritudinem naturalem, non aliunde provenire credatis, quam à bilis portione,

que

(b) *Lib.6.Epid.ſect.6.text.*18.

quę per organum illud cribratur à maſsà ſanguinis; ſiquando ergo dulceſcit, id proculdubiò contingit, vel ex organi obſtructione, quæ parum ſignificat, vel ex ſanguinis craſi depravatà, in quo vel deficit fermentum biliare, vel ab eodem non amplius eſt ſeparabile.

Auris acutus dolor, ait in Prognoſticis (e) *cum febre continuà, & vehementi grave eſt; periculum enim, ne homo deſipiat, & moriatur*: addit tamen cautelam, ne fiat ęquivocatio. *Cum ergo fallax hic locus ſit, celeriter oportet animum advertere omnibus ſignis primo die*. Vocat locum fallacem, quoniam auris etiam levi de causà doloribus eſt obnoxia, ut à flatibus, aut parvulis abſceſſibus, ideoque dixit *Cum febre continuà, & vehementi*, ut denotaret inflammationem, & alia etiam ſigna vult adverti.

Quibus in febribus aures obſurduerunt, his non ſoluta febre inſanire neceſſe eſt (d). Id intelligas in Morbi principio, vel augumento, at quando ſurditas in ſtatu ſupervenit certam ſpem ſalutis pollicetur; & in febribus malignis millies obſervaſſe, conteſtatur Riverius, ſuperveniente ſurditate, quantumlibet alia eſſent ſymptomata periculoſa, omnes perpetuo convaluiſſe: idem ego aſſeram de Parotidibus, quæ pariter ad aures ſpectare videntur, quæ peſſimæ ſunt in principio, ſed poſt vigeſimum non ſemper ſunt funeſtæ, pluresque incolumes evadunt.

De

(c) *Prognoſt. cap.* 19.
(d) *Lib. de judicationibus.*

De Naſo.

Stillæ ſanguinis pluries ab Hippocrate damnantur in Epidemiis, & in Proreticis, (e) ubi habet *Naſus in his deſtillans pernicioſus, tum alias, tum quarto ab initio die.* Advertendum tamen ſanguinis paucas guttulas quartà die interdum apparere, tanquam indicatorias, aut principium hemorragiæ criticæ, quæ ſequi debet in ſeptimà, aut die ſequenti, ut Metoni accidit in Epidemiis (f), cui quartà die *fluxit è dextrà nare ſanguis paululum: quinto largiter fluxit è ſiniſtrà ſincerum, & judicatus eſt.*

De Ore.

Lingua, quæ in principio quidem inhorruit, in colore verò permanet, progreſſu autem temporis exaſperatur, & liveſcit, & rumpitur lethalis eſt, ſi verò valde nigreſcat in quartadecimà die judicationem fore ſignificat, pericoloſiſſima autem eſt nigra, & cum virore pallida. In quartadecimà die, judicationem intellige ad mortem, ut Dureti eſt interpretatio (g), nec aliter intelligi poteſt.

Dentibus (h) *ſtridere in febribus, quibus non eſt conſuetum à pueritià, furibundum, & mortale,* *ſi*

(e) 1. *Prorethorum.*
(f) 1. *Epid. comm.* 3. *Ægroto* 8.
(g) *Duretus in coacas lib.* 1. *cap.* 7.
(h) *Prognoſt. cap.* 4.

ſi verò & mente commotus hoc faciat admodum exitioſum jam ſit.

De Manibus.

De manuum verò lotionibus hæc cognoſcere oportet (i); *Quicunque in febribus acutis, aut peripneumonià, aut phrenitide, & capitis doloribus ob faciem ferunt, aut venantur fruſta, & colligunt feſtucas, & ſtamina à veſtibus carpunt, & ſtipulas de pariete evellunt omnes eſſe malas, & mortales.*

Si ungues (l) *& digiti lividi fiant vicina mors eſt.* Notatione dignum eſt quod ſequitur, deteriores eſſe digitos lividos, quam omnino nigros.

Denigrati omnino digiti, & pedes minus lethales ſunt, quam ſi liveant, ſed alia etiam ſigna conſideranda ſunt; ſi enim facilius ferre malum videatur, aut aliquod ſignum eorum quæ juvant præter hæc annuat morbum in abſceſſum verti, ſpes eſt, ut Æger victurus ſit, & denigratæ partes corporis caſuræ. Notetur illa animadverſio. *Sed alia etiam ſigna conſideranda ſunt*, quia abſceſſus in morbis acutis, aut ſunt critici decubitus humoris peccantis, aut ejuſdem propagationes, ſi primum, ſupervivere poſſunt, decidentibus partibus cancrenà corruptis, ſi ſecundum, nigri digiti deteriores erunt lividis, utpote cancrenæ proximiores.

De

(i) *Ibidem.*
(l) *Prognoſt. cap.* 11.

De Hippocondriis.

Ædema (m) *in Hippocondrio durum, & dolens peſſimum ſi toto eſt in Hippocondrio; ſi verò ſit in alterà parte minus periculoſum eſt in ſiniſtrà.* Nomine ædematis non intelligit hic, ut moris eſt, tumorem pituitoſum, ſed quamlibet tumoris ſpeciem; cavendum tamen eſt, Hippocondriorum intumeſcentiam, quandoque imminentis hemorragiæ eſſe prænunciam; audiamus eundem Hippocratem in Proreticis. *Circa ventrem palpitationes, cum præcordii intenſione ſublongà ac tumente ſanguinis eruptionem ſignificant.*

De Cute, & extremitatibus Corporis.

In febribus (n) *non intermittentibus ſi exteriora frigent, interiora urantur, & ſitim habeant lethale.*

Caput (o), *& pedes frigidos habere, coſtis, & ventre calentibus malum.*

Quibus in (p) *febribus morbus regius ante ſeptimam diem accidit lethale.* De hac doctrina, quomodo, & quando verificetur ſermonem habebimus infra in ſecunda Parte.

ANI-

(m) *Prognoſt. cap.* 9.
(n) *Aphor.* 74. *ſec.* 7.
(o) *Prognoſt. cap.* 11.
(p) 4. *de Affect.* 62.

ANIMADVERSIO XVI.

De Prognoſi ab actionibus.

SEquuntur ſigna prognoſtica à præcipuis actionibus deſumpta, ſcilicet ſomno, vigilia, reſpiratione, ſternutatione, ſingultu, motibus convulſivis, & pulſibus.

De Somno.

In quo (q) *morbo ſomnus laborem facit mortale.* Diſcretè, & magnà cautelà intelligendus eſt hic Aphoriſmus, non enim omnis labor qui in ſomno, & poſt ſomnum habetur lethalis eſt credendus, ſed gravia duntaxat ſymptomata; excludantur itaque labores, qui à causà manifeſtà provenire poſſunt, ut à ſomno in febris augumento, aut ſtomaco nimis pleno, aut in meridie qui non eſt aſſuetus; excludantur etiam moleſta ſymptomata, ſed non gravia, ſcilicet huc, illuc agitatio, inſomnia luctuoſa, dolor capitis, oris amaritudo, vel ſitis, quæ mala quidem ſunt, ſed non lethalia; erit quidem ſomnus funeſtus quem ſequuntur magnum delirium motus conuvlſivi pulſus intermittens valdeque languidus, & ſpirandi difficultas.

Vbi ſomnus (r) *delirium ſedaverit bonum.* Intellige bonæ ſpei, ſed non ſecuritatis.

Sa-

(q) 2. *Aphor.* 1.
(r) 2. *Aphor.* 20.

Somnus (s) *& vigila utraque ſi modum exceſſerint malum*, non erit autem exceſſus damnabilis ſi præceſſerint diuturnæ vigiliæ aut plurima vini potio.

Conſiderare (t) *autem oportet*, *& ſuſpectiones oculorum per ſomnos*, *ſi enim albi aliquid ſub appareat non commiſſis palpebris*, *non ob fluxum ventris*, *aut medicamenti potionem*, *aut non ſic dormire aſſueto*, *pravum ſignum eſt*, *& lethale admodum*. Pueris hoc eſt familiare, talem convulſionem patientibus ob nimiam humiditatem, ut gravibus Ægrotis ob ſiccitatem.

Mortale (u) *eſt biantem dormire ſemper*. Superius explicavimus in decubitu.

De Reſpiratione.

Spiritus (x) *autem creber laborem ſignificat*, *aut inflammationem in regionibus circa ſeptum tranſverſum*, *ſed quod magnus reſpiratur*, *& ex longo tempore*, *deſipientiam ſignificat*, *verum qui frigidus expiratur ex naribus*, *& ore*, *mortale admodum jam ſit*.

De Sternutatione.

Corizas (y) *& ſternutamenta in omnibus pulmonis morbis*, *& præire*, *& ſubſequi malum*, *ſed in* *aliis*

(s) 2. *Aphor.* 3.
(t) *Prognoſt. cap.* 2. (u) *Prognoſt. cap.* 3.
(x) *Prognoſt. cap.* 7. (y) *Prognoſt. cap.* 16.

aliis morbis qui maximè lethales ſunt, ſternutamenta utilia ſunt.

De Singultu.

A ſuperflua (z) *purgatione convulſio aut ſingultus malum.*

A vomitu (a) *ſingultus, & oculi rubri malum.*

A jecoris (b) *inflammatione ſingultus malum.* Poſſet tamen, ut advertit Valleſius fieri quandoque ſingultus independenter ab inflammatione, ab aliquo cibo acri, & mordaci, aut à flatu, aut cruditate ventriculi tunicis adherente, *Quas cauſas* (c) inquit, *oportet cautè animaduertere, ne quid deterius, quam par ſit incautè cogitemus, vel dicamus, ſed ex inflammatione eſſe, ſingultus perſeverantià cognoſces, aliæ enim cauſæ prætereunt facile.*

De Convulſionibus.

Ex vulnere (d) *convulſio lethalis eſt.*

Sanguine (e) *multo effuſo convulſio aut ſingultus accedens malum.*

Ex ſuperfluà (f) *purgatione convulſio aut ſingultus accedens malum.* Valet prognoſis non minus in purgatione, aut hemorragià naturæ, quam artis vi factà.

Fe-

(z) 5. *Aphor.* 4. (a) 7. *Aphor.* 3.
(b) 7. *Aphor.* 17. (c) *In Comment.*
(d) 5. *Aphor.* 2. (e) 5. *Aphor.* 3.
(f) 5. *Aphor.* 4.

Febrem (g) *convulſioni ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem*. Convulſio poſt febrem cenſetur eſſe exinanitione, ſive exſiccatione, quæ incurabilis eſt; convulſio verò cui febris ſuccedit ex repletione cenſetur eſſe, quæ minus habet periculi. Advertendum tamen, quod, ut convulſio poſt febrem ſit ex ſiccitate credenda, debet ſequi, aut febres ardentes, aut febres hecticas, & diuturnas, alioquin ſi paulò poſt febrem fiat convulſio, erit, & ipſa ex repletione: febris autem convulſioni ſuperveniens non ſolùm minus habet periculi, ſed quandoque juvat; nam ut idem Hippocrates in altero Aphoriſmo.

Qui à (h) *convulſione, aut diſtenſione nervorum tenetur, febre ſuperveniente liberatur*. Febris enim attenuat ac reſolvit; an ergo quod interdum facit Natura, Medicus audax imitabitur, febrem excitando? Audet quidem Cornelius Celſus, prohibet Valleſius in controverſiis (i) ubi fusè agitat quæſtionem, cui ego ſubſcribo.

De Pulſibus.

Quoniam de his Hippocrates nihil ſcriptum reliquit, ad Galenum recurremus, qui fortè plura ſcripſit, quam opus eſſet, prognoſim ad quatuor duntaxat ſigna reſtringentes, parvitatem, duritiem, inæqualitatem, intermittentiam.

In pulſus parvitate comprehenditur illa diſtin-

ctio

(g) 2. *Aphor*. 26. *Et in Coacis* (h) 4. *Aphor*. 57.
(i) *lib*. 8. *controverſ. cap*. 10.

ctio an ab oppreſſione, an ab exhauſtu, de qua ſatis locuti ſumus in tertià animadverſione primæ Partis.

Durities, ſi febrem vehementem habet concomitantem, inflammationem ſignificat in partibus nervoſis, & membranoſis, ſi abſque febre, aut cum febre hecticà convulſionis, vel exſiccationis eſt indicium.

Inæqualitas, quando eſt mediocris, febrium humoralium, quæ putridæ vocantur eſt propria, vel pugnam indicat inter humores gravantes, & Naturam expellere conantem, quare obſervari ſolet in pulſu parvo per oppreſſionem, & quando imminet motus aliquis criticus. At quando pulſus eſt inæqualis omni genere inęqualitatum, tum rithmico, tum ſiſtematico, qualem Galenus (l) obſervavit pulſum Antipatri Medici, tunc interrogatus Galenus ab eodem Antipatro quam crederet ipſe talis inæqualitatis cauſam, reſpondit, ſe alibi in libris de Pulſibus explicaſſe, anguſtiam in aliquà magnà pulmonum arterià, eſſe in cauſa, quæ anguſtia, vel ſit ab inflammatione (hęc tamen in Antipatro non erat, quia febre carebat) aut à craſſis, & viſcidis humoribus obſtruentibus, aut à crudo tuberculo.

De intermittentià ſcripſit Galenus (m) *Cum duorum pulſuum tempus Arteria quieſcit, haud ſcio an ſuperſtes eſſe quiſquam poſſit; unius certè pulſus tempus, aut paulò amplius ſępe numero coſpexi-*

F *pexi-*

(l) 4. *de loc. affi. cap.* 8.

(m) *lib.* 2. *de præſag. ex pulſibus.*

peximus hominem liberari, præſertim cum ætatem ſenilem ageret; etenim facultates languidæ à parvis ſæpe occaſionibus offenduntur, firmæ autem tantum deiiciuntur à maximis. Et paulo infrà proſequitur. *Itaque intermittentes pulſus minus pernicioſos poſſident ſenes quam Juvenes mox Pueri ab illis, quod concoquant digerantque per halitum humorum copiam, & craſſitudinem*.

At enim verò non rarò in praxi tales intermittentias, etiam apud Juvenes impunè conſpicimus, Hippocondriacos, & hiſtericas, tum etiam in acutorum morborum declinatione, & in criſi imminente; immo bis vidiſſe in Juvenibus fatetur Valleſius (n) & largà ſanguinis miſſione incolumes evaſerunt, quod ſanè contingere non poſſet, ſi pulſus intermittentia alias non haberet cauſas, quam à Galeno aſſignatas.

Pro hujus difficultatis ſolutione, ex qua lumen etiam ad prognoſim eluceſcet, præmittamus oportet, quod ſicuti ad pulſum celebrandum requiruntur organa diſpoſita, & ſpiritus influens, ita ejuſdem actionis impedimentum, aut depravatio contingere poterit, aut organorum vitio, aut liquidi influentis. Hoc ſuppoſito, ſi impedimentum erit in organis pulmonum, aut cordis ſtabile, & adhærens, ut ſcirrus, polipus, tuberculum, morbus erit incurabilis, & mors in propinquo, ſi craſſamenta lymphatica, & pituitoſa una cum ſanguine permiſceantur, & fluant intermittentiam abſque periculo facere apta ſunt, ut in Pueris vora-

(n) *Comment. in Prognoſt. cap.* 2.

racibus, & in ſenibus catharro laborantibus; ſi ab Hippocondriis, & ab utero fermenta volatilia atrabilaria, vitriolica, narcotica eleventur, ſpiritibus animalibus ad cordis motum deſcendentibus turbationem ac torpedinem inducentia fiet pariter ſine maximo periculo intermittentia; hæc eadem volatilia fermenta humorum jam agitari incipientium in criſi imminente, vel nondum penitus diſgregatorum in morbi acuti declinatione, impunè etiam intermittentiam inducere poſſunt.

Antequam ergo funeſtam prognoſim pręcipitemus, diù, & pluries in die obſervare expedit talem pulſum, & ſi perpetua, & nunquam intermiſſa intermittentia permanebit, rithmicà, & ſyſtematicà inæqualitate concomitante, infallibile erit de polipo, aut tuberculo judicium in pulmonis, aut cordis arteriis, ut in Antipatro Medico; at ſi pulſus ab æqualitate non recedens, poſt aliquas tantum pulſationes interdum intermittit in Homine plethorico, melancolico, Puero, Sene, & catharrali fluxione detento, temporaneum, ac ſuperabile impedimētum credatis in fluido nerveo, vel arterioſo, & juxta cauſarum, ac temperamentorum diverſitatem curatio etiam eſt varianda; in Plethoricis larga phlebotomià, ut peregit Valleſius, victuque tenui, & attenuantę, in Melancolicis, & Hiſtericis, medicamentis volatilibus antiſtericis, antiſcorbuticis, antacidis, in Senibus victu moderato, ſed optimo, & facilis coctionis, vino interdum generoſo, & Cioccolatà, in Pueris dietà, ſomno, & exercitio.

ANIMADVERSIO XVII.

De Prognoſi ab excretionibus.

NEmpè ſudore, vomitu, dejectionibus, urinis, & in morbis pectoris expuitione.

De Sudoribus.

Peſſimi (o) *autem frigidi, & ſolum circa caput facti, & faciem, & collum, hi enim cum acutà quidem febre mortem prænunciat, cum mitiori autem, morbi longitudinem, & qui toto corpore ſimiliter, ac qui circa caput fiunt, qui verò ſunt millio ſimiles, & ſolum circa cervicem fiunt pravi: noſſe autem oportet hoc in univerſum de ſudoribus, quoſdam fieri præ corporis diſſolutione, quoſdam præ inflammationis vehementià.* Frigidi ſudores circa collum, & caput duntaxat, & millio formes à ſola fiunt diſſolutione, qui verò ſunt univerſales æquè fieri poſſunt, & ab inflammatione, & à diſſolutione; facilè tamen eſt ab aliis ſymptomatibus diſtinguere, nempe à febris vehementià, & pulſuum magnitudine.

De Vomitu.

Si verò (p) *id quod evomitur ſit porraceum, aut lividum, aut nigrum, quicunque horum colorum fue-*

(o) *Prognoſt. cap.* 8. (p) *Prognoſt. cap.* 15.

fuerit, exiſtimare oportet pravum eſſe; ſi autem omnes hos colores idem homo evomat, valdè mortale jam ſit: citam autem mortem ſignificat lividus vomitus, ſi valdè fætet, omnes ſubputridi, & fætidi odores mali in omnibus vomitibus.

De Dejectionibus.

Aquoſam valdè, (q) *aut albam, vel chloram, vel rubram valde, vel ſpumantem deiici, hæc omnia mala ſunt; his autem magis lethales ſunt nigræ, vel pingues, vel lividæ, vel æruginoſæ, & fætidæ; variegatæ autem dejectiones diuturniores ſunt his; lethales autem nihilominus, ſunt autem tales ramentoſæ, bilioſæ, cruentæ, porraceæ, & lividæ, nunc quidem ſimul provenientes, nunc autem per partes.*

De Urina.

Urina (r) *optima eſt cum album ſedimentum, & læve, & æquale per omne tempus eſt, uſque dum morbus indicetur, ſignificat enim ſecuritatem, & morbum brevem fore; ſi verò deficiat, & nunc quidem pura reddatur urina, nunc autem ſubſideat album, & læve, diuturnior morbus ſit, & minus ſecurus.* Quamquam in febribus malignis parum fida ſit urinarum inſpectio; malę enim ſunt malæ, & bonæ ſunt peſſimæ; attamen, ut optimè adver-

(q) *Prognoſt. cap.* 13.
(r) *Prognoſt. cap.* 14.

tit Riverius, & ego etiam quandoque ſum expertus, urinæ concoctæ, & cum eo ſedimento ab Hippocrate deſcripto diu perſeverantes, certam ſalutem promittunt, quantumlibet graviſſima ſint reliqua ſymptomata.

Si autem ſit urina ſubrubra, & ſedimentum ſubrubrum, & læve, multò diuturnior hæc quam prima ſit, ſalubris verò valdè.

Farinacea in urinis ſedimenta mala, his ſunt deteriora laminea; tenuia, & alba valdè mala, his autem ſunt deteriora furfurea, Sedimenta furfurea omnium peſſima ſunt, majorem enim ſolidarum partium triturationem ſignificant.

Nubeculæ, quæ invehuntur in urinis, albæ quidem bonæ, nigræ verò malæ. Loquitur de illo ſedimento, quod propriè nubeculam vocamus, eo quod ſublimius innatat in urinà; non ex eo tamen credatis nubeculam prognoſi gravitatem adaugere, immò ſicuti ſedimentum album nubeculà albà eſt melius, ita nigrum ſedimentum nigrà nubeculà eſt deterius.

Cum eſt urina rufa, & tenuis, ſignificat morbum crudum eſſe, ſi verò diuturnus ſit morbus, urina autem hujuſmodi, periculum, ne non poſſit Homo ſufficere, donec coctaſit urina. Si alba eſſet, ac tenuis crudior ſanè eſſet, quam rufa & tenuis, illam tamen omnes norunt, idcircò Hippocrates rufæ, ac tenuis mentionem facit, ne quis fortè decipiatur illam credens inflammationis ſignum, cum ſit cruditatis.

Magis exitiales urinæ ſunt, quæ ſunt fœtidæ, & aquo-

quoſæ, & nigræ, & craſſæ; ſunt autem Viris, & Mulieribus nigræ urinæ peſſimæ, pueris verò aquoſæ. Galeni eſt interpretatio, deteriorem in Adultis urinam eſſe nigram, deteriorem in Pueris eſſe aquoſam; rectiùs autem Valleſius peſſimam in omni ætate nigram eſſe putat; aquoſa enim cruditatem duntaxat ſignificat, at nigra putredinem, & malignitatem. Mens ergò Hippocratis eſt aquoſam urinam pejorem in pueris eſſe, quam in adultis; Pueri enim craſſiorem facere conſueſcunt, quam Adulti; nigram verò praviorem eſſe in Adultis, quam in Pueris, quoniam à craſſo ad obſcurum facilior eſt tranſitus, quam à ſubtili, & propterea nigra in Adultis urina major eſt, quam in Pueris à naturali ſtatu receſſus, & in Pueris urina ſubtilis major eſt, quam in Adultis receſſus, at nigra urina in pueris major eſt receſſus à naturali ſtatu, quam aquoſa.

Quicunque urinas tenues & crudas multo tempore mingunt, ſi alia omnia ſigna, ut in ſupervicturis ſint, in his oportet expectare abſceſſum in regionibus infra ſeptum transverſum.

Et pinguia innatantia araneis ſimilia vituperanda; conſumpſionis enim ſunt ſigna. Ne fiat hic æquivocatio addamus Aphoriſmum diſtinguentem.

Quibus (s) *in urinis pingue inſidens, & acervatim, his renum mala, & ea acuta ſignificat*. Quando itaque in urinà pinguedo advenit copioſa, acervatim, & inſidet, renum inflammationem ſignificat, quorum pinguedo colliquatur, quando

 verò

(s) *Aphor. 35. ſect. 7.*

verò ſimilis eſt telis araneorum, & innatat, tunc febris colliquativæ eſt indicium.

Ne te (t) *decipiat ſi veſſica morbum habens tales urinas reddiderit non enim totius corporis ſignum eſt, ſed ipſius ſolum.* Intelligit de urinis farinaceis, ſquammoſis, & furfuraceis, de quibus ſupra loquutus eſt, tanquam ſignis colliquationis partium ſolidarum, ſed interdum morbum indicant in ſola veſſicà, ut advertit in altero illo Aphoriſmo.

Si ſanguinem (u) *aut pus minxerit, aut ſquammulas, aut gravis odor adſit, veſſicæ exulcerationem ſignificat.* Notetur particula illa *gravis odor*, hìc etenim ſemper aderit in veſſicæ exulceratione, non tamen in ſolidarum partium colliquatione, quam etiam diſtingues à febris ardore, & emaciatione.

De Sputo.

Sputum (x) *oportet in doloribus omnibus circa pulmonem, & circa coſtas citò, & facile expui, & permixtum apparere flavum valdè ſputo.* Intellige, non flavum valdè, quod malum eſſet, ſed permixtum valdè, hoc eſt flavum cum pituità exactè permixtum.

Si autem multò poſt principium doloris ſpuat flavum, aut rufum, aut multam tuſſim movens, & non admodum permixtum, malum ſit, nam flavum, ſince-

(t) *Prognoſt. cap.* 14.
(u) 4. *Aphor.* 81.
(x) *Prognoſt. cap.* 16.

ſincerum, periculoſum, album autem, & lentum, & rotundum inutile. Quia ſputum album aut non eſt illud quod morbum facit, aut ſummam indicat cruditatem.

Malum autem, & chlorum valde, & ſpumoſum Chlorum indifferenter ſignificat, tum colorem flavum, tum viridem; de flavo jam verba fecerat, hìc ergo loquitur de viridi. Valleſius illud valdè refert ad malum, quaſi dicat Hippocrates, ſputum viride, & ſpumoſum, valdè malum; at ego exiſtimo, quod dicat valdè chlorum, & valdè ſpumoſum, alias, cum omnia ſputa, quæ è pulmonibus prodeunt ſint ſpumoſa, nomen mali non mererentur, niſi eſſent valdè ſpumoſa.

Si verò ita ſincerum ſit, ut nigrum videatur, gravius hoc eſt quam illa, malum etiam ſi nihil expurgetur, neque emittat pulmo, ſed plenus ferveat in gutture. Non expurgare primis diebus, hoc eſt ante quartum non eſt valdè malum, eſt enim conditio principii; tunc autem fervere non ſolet in gutture, quod materiæ redundantiam, & virtutis animalis debilitatem, aut oppreſſionem ſignificat.

Concludamus prognoſticorum doctrinam genericà quadam animadverſione ab ipſo Hippocrate deſumptà, qui noſcens ſigna deſcripta quandoque æquivoca eſſe & fallacia, non ſemel, aut bis repetit in prognoſticis: *Sed oportet alia ſigna conſiderare*, monens nos, ex unico ſigno quamquam funeſto, non ſtatim mortalem ſententiam eſſe pro-

pronunciandam, cum ſit impoſſibile, quod in tali ſtatu non alia plurima concurrant ſymptomata ad idem conteſtandum.

PARS SECUNDA

Animaduerſiones circa morbos aliquos peculiares.

HActenus de victu, de medicamentis, aliiſque remediis, quatenus ad Sanos, & Ægrotos genericè ſunt diſponenda, ſermonem habuimus, at modo, inverſo ordine, de Morbis quibuſdam peculiaribus agemus, quatenus ad ipſos aliqua remedia præcisâ Methodo ſunt applicanda, à febribus, earumque ſymptomatibus exordientes.

ANIMADVERSIO I.

Circa febres.

ETſi rigoroſa in victu parſimonia febricitantibus admodum ſit neceſſaria, non eſt tamen, quin illius exceſſus, aut in paucitate, aut in diuturnitate non ſit longè periculoſior, in quo nonnullos ex Medicis frequenter vidimus delinquere; & hoc idem adnotavit Hippocrates in Epidemiis (a) Prodicum illum reprehendens: *Malum febriculoſum inimicum fami*; & clariùs in Aphoriſmis (b). *Victus tenuis & exquiſitus in morbis longis ſemper, in acutis, in quibus non convenit periculoſus.* Quod in Morbis longis victus tenuis eſt periculoſus facile eſt intelligere, quia vires reſiſtere nequirent; Major mihi videtur difficultas in aſſignandis illis morbis acutis, quibus victus tenuis non conveniat, quod nec ab Hippocrate, nec ab ullo quod ſciam ex Commentatoribus, ſatis mihi videtur explicatum, quia indicationem deſumentes, vel à gradu acutiei, vel à temporibus, principio, augumento, ac declinatione, morbi naturam, cauſas præcedentes, & ſymptomata concomitantia conſiderare præterierunt.

Dico igitur primo loco, inquirendum eſſe, an præceſſerint errores in victu pleniori, an Ægrotans ſanitatis tempore bene cibari conſueverat, in qui-

(a) 6. *Epidem. ſect.* 3. *text*. 27.
(b) 1. *Aphor*. 4.

quibus caſibus poteſt, ac debet victui tenuiori obtemperare.

Præterea an morbus ſit inflammationis, an in ſanguine adſint coagula, & craſſamenta, & in viſceribus obſtructiones, an adſit ſomnolentia, ſpirandi difficultas, catharrus; pulſus magnus, febris vehemens, urinæ craſſæ, vel nimis tenues ex cruditate, hæc omnia victum tenuem expoſcunt.

E contrà, ſi morbus acutus ſit in Homine parco, laboribus, & exercitiis dedito, cum diarrhæà, aut hemorragià copiosà, ſi habitu corporis ſit nimis gracili, cum febre colliquativà, cum ſudoribus frequentibus, & copioſis, ſi ſtomaco ſit picrocolus, ſi ſæpè lipotimià corripiatur, non modò victus tenuis eſt prohibendus, ſed in ipsà etiam acceſſionis invaſione cibandus.

Nimio quidem rigore vinum febricitantibus cõmuniter prohiberi video, cõtra id, quod antiqui noſtri Prçceptores uſu habuere, & ab Hippocrate exordiendo, hìc in morbis etiam acutis concedebat, ac tantummodo interdicebat in maximo capitis dolore, & in delirio: (c) *Vbi tamen in his morbis ſuſpicatus fueris, aut capitis gravitatem vehementem, aut mentis percuſſionem, penitus à vino abſtinendum, & aquà in tali utendum, aut vinum aquoſum & album penitus dandum, & penitus in odorum, & poſt ipſius potum aqua modica inſuper bibenda.* Immo in pleuritide, & peripneumonia vinum exhiberi jubet (d) *dulce, album, & aquoſum.* Ad-

(c) *De rat. vict. in morb. acut. ſect.* 3.
(d) 2. *de Morb.*

Addit Galenus in commento de victus ratione. *Vinum dulce in acutis morbis ad expuitionem, tum propter dictas operationes, tum propter communem omnium vinorum rationem, qua vires roborat idoneum exiſtit*. Et paulo infrà ſubdit. *De vinis hæc loquutus Hippocrates, prætermiſſo uno, quod non abſolvit, & ego obiter percurram, quod ſcilicet febrientibus magis idoneum ſit aquoſum*. Hoc idem pluries repetit in methodo, (e) & ejuſdem ſententiæ fuerunt Meſues, & Avicenna, quorum textus gratia brevitatis omitto.

In principio acceſſionum cõmuniſſima praxis eſt ſomnum febricitantibus prohibere, quantà eorundem moleſtià, & impatientià, teſtetur qui fuit expertus, aut qui ad illos excitandos tantopere laboravit; ego ſanè longè majus damnum, quam utilitatem ex hac violentià reſultare putavi, & cum in me ſim olim expertus, ſemper ex inde, fui cum aliis indulgentior, abſque ullo unquam, quod viderim præjudicio; fortius etiam in hac ſententià me confirmavit Hollerius, qui hanc quæſtionem proponit, & favore Ægrotantium reſolvit (f) *Quæritur*, dice egli, *an debeamus aliquando Ægros permittere dormire initio acceſſionis; maximè, ex Arabum ſententià, & rectè quidem; prima cauſa eſt, quia præceſſerit longa vigilia, altera, eſt quando metuimus hæcticam, ſomnus autem humectat*. Excipiendi autem ſunt illi Ægrotantes, qui capiplenio, aut ſomnolentià laborant.

Nun-

(e) *Lib.8. & lib.14. Method.*
(f) *Aphor.1. ſect.2.*

Nunquam ſatis explicari poterit, quot errorum, immò quot homicidiorum cauſa fuerit celebris ille Galeni textus in methodo (g) *Saluberrimum eſt in febribus venam incidere, non continentibus modo, verum etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat*. Et Romæ frequentius, quam alibi, tragici effectus inde provenere, eo quod ex Agro Romano, aut Vitrioli causà, quo eſt refertus, aut paludum quæ ubique ſtagnant, ut potius credo, veneficæ, ac fixantis naturæ elevatur exhalatio, quæ febrium malignarum ex coagulo, Æſtate, & Autumno potiſſima eſt cauſa, cum ſomnolentià, pulſibus exilibus, & extremorum refrigeratione, & licet aliquando præcedentium errorum causà incendium excitantium, febres tali ardore incipiunt, ut ad phlebotomiam invitent, vix tamen diminuto ſanguine, malignitas detegitur, & ratio eſt, quia febrilis ille ardor coagulum diſſolutum ſervabat, ac diaphoreſim promovendo ejuſdem fixationem in viſceribus præpediebat; ſed extinto per phlebotomiam ardore febrili ſanguiniſque volatili evaneſcente, quod coagulationi reſiſtebat, malignitatis non ante cognitæ ſymptomata eluceſcunt. Hac conſideratione, longàque experientià ſuaſus ego, & ſi alioquin facilis ac liberalis in ſanguine extrahendo non febricitantibus, rariſſimè, aut nunquam febricitantibus extraho, niſi febres ſint ex inflammatione, immò neque his ſi aliqua adſit pravi ac maligni aeris ſuſpicio.

Sed omiſsà exceptione municipali Agri Romani, quæ

(g) *Lib.* 11. *Method. cap.* 15.

quæ derogat juri communi à Galeno præſcripto, ulterius progredior, aſſerens hoc jus commune in humore putreſcente firmatum falſum eſſe, & erroneum, humor enim putreſcens phlebotomiæ potius eſt contra indicans, ſi fidem Hippocrati præſtare volumus, qui in febribus putridis à Galeno vocatis, & ipſe, *febres ex bile*, vocat, nunquam ſanguinis mentionem facit. Legatur ſecundus Liber de Morbis, ubi ex profeſſo talium febrium curationem ponit, de ſanguine autem, nec verbum loquitur, immò clariùs in Epidemiis (h) febrem, tanquam phlebotomiæ contraindicans, conſiderat etiam in iis morbis, quibus alioquin competeret. *Si verò ulcus fuerit venas internas ſecato, ſi non febricitet*, & paulò infrà: (i) *Quicunque de repentè voce deſtituuntur, ſi ſine febre fuerint ipſis venam ſecato*; item in Coacis prænotionibus (l). *Quibus de repentè dum ſine febre ſunt hippocondrii, & cordis dolor, & circa crura, & infernas partes, & alvus in tumores elevatur, ſolvit venæ ſectio*. Uno verbo mens Hippocratis eſt in febribus bilioſis ſanguinem non eſſe mittendum, atq; hoc non ſine magnà ratione, cum enim de omnium ſententià ſanguis ſit frenum bilis, hinc ſequitur ejus extractionem non ſemper refrigerare, ſed multoties calorem adaugere; refrigerat quidem, quando calor oritur à ſanguinis copià, aut ab humoribus craſſis, qui non tranſpirant, calefacit è contra, quando calor à bile procedit, ut propemodum Eudemo in Lariſſa con-

(h) 2. *Epidem.* (i) *Num.* 16.
(l) *Sect.* 2. *verſ.* 72.

contigiſſe idem adnotavit Hippocrates (m), illi etenim poſt hemorroidalem hemorragiam, *Cum exanguis exiſteret bilis commota eſt &c. & febris corripuit, & non dimiſit, donec occideret*. Sic menſtruorum fluxibus immoderatis eodem teſte Hippocrate (n) ſupervènit *Febris bilis meracæ, & pruriginoſæ*. Notetur verbum illud *Meracæ*, quod bilem ſinceram ſignificat à ſanguinis fræno diſſolutam.

Hanc Hippocratis doctrinam optimè intellexit Avicennas (o), qui in curatione febris ardentis prohibet phlebotomiam. *Et non phlebotometur, fortaſſe enim inflammabit eos*, verum quidem eſt, quod addit: *Et fortaſſe juvabit eos ſi fuerit illic turbiditas aquæ*. Mens ergo Avicennæ eſt, ut ſanguis non mittatur, niſi adſit urina turbida, quod, & alibi etiam ſcripſit: *Quando urina eſt rubra, tu phlebotoma*.

Si rationem quæratis, quarè cum urinis turbidis ſanguinis miſſionem permittat Avicennas, Reſpondeo febres ardentes à purà bile oriundas urinas habere tenues, ac ſplendidas, quibus propterea ſanguinis extractio inflammationes parere poteſt, ex dictis ſuperiùs; quando autem urinæ ſunt turbidæ, ſignum eſt febres nòn eſſe ex purà bile, ſed ex craſſis humoribus ad tranſpirationem ineptis; eapropter phlebotomia inflammationem extinguere, non facere eſt apta. Audite ab eodem Avi-

(m) 5. *Epidem.*
(n) *De morb. mulier. in principio.*
(o) *Lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 41.*

cenna (p) febrium ardentium diſtinctionem: *Cauſon eſt ſecundum duos modos, aut enim Cauſon eſt colerica &c. aut phlegmatica, & fit ex phlegmate ſalſo putrefacto in venis, quæ ſequuntur partes cordis, ſicut dixit Hippocrates in Epidemiis*. Legite poſtmodum hunc textum Epidemiorum ab Avicenna citatum, in quo Hippocrates (q) deſcribit Cauſones non ex bile, ſed ex pituitâ ſalsâ, ut optimè explicat Valleſius in Commentario.

Confirmatur hæc veritas, ex eo quod ſcripſit Villiſius (r), quod *crebrà ſanguinis miſſione ſulphur in maſsà ſanguinis copioſiùs ingeritur &c. hinc fit, ut qui crebrò emittunt ſanguinem, non tantum in febres ſint proclives, verùm & pingueſcere ſoleant, propter liquorem ſucco ſulphureo plus impregnatum*.

In febribus acutis medicamentum purgans in principio non eſt exhibendum, niſi materià turgente, juxta Hippocratis (s) documentum: *Concocta medicamento purgante vacuare, & ea, quæ non ſunt cruda movere, neque in principiis, niſi materia turgeat*. Particula tamen illa, quam in fine addit: *Vt plurimum verò non turget*. Si fortè in Græcià verificabatur, in climate Romano convertenda potius in contrariam mihi videtur *ſæpiſſimè turget*, tum craſſi aeris ac paludoſi culpà, qui parum coctiones adjuvans multa coacervat excremen-

(p) *Cap.* 41.
(q) *Epidem. lib.* 2. *ſec.* 3.
(r) *De febrib. cap.* 9.
(s) *Aphor.* 22. *ſec.* 1.

menta, tum ex victu opiparo, vitàque ſedentaria Nobilium, ac Studioſorum Hominum; cauti ergo eſtote in perpendendis ſymptomatibus turgentiam indicantibus, ut ſunt pulſus oppreſſi, & inæquales in principio, ſomnolentia, delirium, cardialgia, ſpirandi difficultas, ad vomitum, aut ſeceſſum propenſio, & niſi aliqua adſit inflammatio, non ſolùm convenit Minorativo primas vias à craſſis excrementis expiare, ſed non multum immorandum in propinando cathartico, antequam humorum ſarcina, quibus vaſa redundant in aliquod ex præcipuis viſceribus elutrietur.

Ultra communem, & uſualem Chinchinæ praxim in febribus tertianis, & quartanis intermittentibus, aliiſve febribus cum frigore exordientibus, idque, ſignis coctionis jam apparentibus, & corpore ſatis expurgato, habet illa non minus efficacem, ſed utiliorem uſum in aliquibus febribus malignis, quas in acceſſionum principio violenta adeò ſymptomata concomitantur, ut paucis diebus Ægrotum in præceps deiiciant; talia propemodum ſunt motus convulſivi, animi deliquia, ſtupores, & exteriores refrigerationes, octo, vel decem horis perſeverantes; in his caſibus nullum opportunius conſilium, quam ad chinchinam confugere, qua ſymptomatum violentiæ frænum imponatur, morbuſque in tali ſtatu conſtituatur, ut aliis medicamentis ex ordine tempus concedat: multa haberem exempla narranda Ægrorum penè morientium, quibus chinchinæ infuſionem guttatim, pluries in die, in fauces inſtillavi,& paulò pòſt

in ſenſus , & in ſalutem feliciter rediere , & hauc abſimili methodo ſum uſus in Tertianis illis intermittentibus , ſed malignis , quæ tertià , vel quartà acceſſione ægrotum tollere conſueverunt , ut etiam Riverii fuit obſervatio .

Notum etiam vulgo eſt ex longà obſervatione , Ægrotis ex febre diuturnà convaleſcentibus , cum primum pectere caput incipiunt , non modo capillorum potiorem partem decidere , ſed febrem illicò redire , quidquid hujus ſit ratio , de qua non eſt hìc diſputationi locus ; ad hæc incommoda , & pericula evitanda , cogitavi, atque in uſum poſui, ut febricitantes pectere proſequantur, ut illis mos erat in ſanitate , nec ſine magno, nî fallor , rationis fundamento; ſi namque febricitanti ad adjuvandam tranſpirationem frequentes cucurbitulas , ac frictiones perſcribere in uſu habemus in iis corporis partibus , quæ non ſunt aſſuetæ, qua rogo ratione capiti omittimus facere , toto anno illas recipere ſolito ? capiti , inquam , qui præ cæteris partibus indiget tranſpiratione, eo quod omnium viſcerum inferiorum evaporationes recipiat, vel ipſo Hippocrate (t) pluries adnotante .

ANI-

(t) *De glandulis verſ.* 58. 1. *de morb. ſec.* 1.

ANIMADVERSIO II.

De quibuſdam febrium ſymptomatibus, & primò de ſiti, & linguæ ariditate.

SItis, & linguæ ariditas ſymptoma febricitantibus moleſtiſſimum, ardorem viſcerum ſignificat, aut fluidorum ſtagnationem; huic incommodo, ut occurreret Galenus (t) largum aquæ gelidæ potum propoſuit. *Offerenda potui eſt, quæ prorſus ſit gelida quantum bibere Ægro libet*. At quidem cum tot limitationibus, ac circumſtantiis quas ſi cunctas attendere velimus paucos, aut nullos Ægrotantes tali dignabimur refrigerio. *Quibuſcunque enim*, addit, *in principe particulà tumor aliquis è phlegmones ædematos, aut ſcirri genere conſtitit, iis frigidam offerre non oportet, ſed nec iis, quibus obſtructio putriduſve humor non concoctus incommodat*, nec iis contentus aliam addit cautelam. *Sit ne pars aliqua temperamento adeo frigido, ut in hac noxà procumbat*; ac denique concludit, tunc ſolum tali medicamento eſſe locum, *Cum & in pulſu, & in urinis concoctionis evidentes cernuntur notæ, febris autem eſt maxima*.

His autem tot limitationibus ſe, de more, nimis ſophiſticum Galenus oſtendit, ego enim ramis ſuaſus in hujuſmodi largitione, & experientià ſuaſus in hujuſmodi largis potatio-

(t) 9. *Meth. cap.* 5.

potationibus concedendis, nil aliud curo, quam ut illæ per urinam, aut ſeceſſum reſtituantur, cui rei ſtudere oportet: etſi enim nulla ex galenicis exceptionibus obſtaret, aqua tamen non tranſiret, ab ejus uſu deſiſtendum eſſet, ſi è contra omnes adeſſent, aqua tamen reſtitueretur nihil timendum, & ſemper cum felici exitu propinavi.

Sed, ut experimenta rationibus roborentur, quid rogo de Hominis alicujus cautelà æſtimaretis, qui Domum ardere videns aquæ profuſionem prohiberet, ne ſupellectiles humiditate polluerentur? quid pariter de Medico erit æſtimandum, qui Ægrotanti in quo, *febris eſt maxima*, ut requirit Galenus, cum ſiti, & linguæ ariditate, largum aquæ potum negaret, metu nocendi Scirro, tumori ædematoſo, aut frigido partis alicujus temperamento? noceat quantum velit, dummodo febrile incendium extinguatur, dummodo majus, & imminens periculum evitetur.

Sed reſpondeat Galeno Galenus ipſe, qui alibi in methodo hęc habet.(d) *Melius eſt phlegmonas in pręſens augere quam ſinere hominem in becticam febrem currere*. Reſpondeat & Avicennas. (e) *Quoniam febris*, inquit, *quandoque tantæ eſt vehementiæ & acuitatis, ut non liceat uti regimine cauſæ, immo neceſſe eſt uti infrigidatione multà*. Alias modo exceptiones ad trutinam revocemus.

Obſtructiones cum febre ardente largum aquæ potum prohibere non debent, non modo, quià ma-

(d) 10. *meth. cap.* 6.

(e) *Lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 20. *cap.* 7.

major à febre, quàm ab illis deſumenda eſt indicatio, ut ſuperius innuimus, ſed, quod magis notãdum, quià obſtructiones cum febre ardente non ſunt ex illis, quæ rabarbaro, aut chalibe curantur, ſed emollientibus & laxantibus, & propterea copioſæ potiones ſalubres potius, quam noxiæ cenſendæ ſunt.

Aliam exceptionem ponit, humorem putridum, & non concoctum, ſed contrariæ ſententiæ fuit Averroes, (f) qui nullâ expectatà coctione bibendum ſuadet, *Quia*, inquit, *Æger ante digeſtionem conſumetur*, & refert Rhaſis hiſtoriam, duorum nempe Juvenum, Domini, & Servi, qui Caniculæ tempore itinerantes ambo febre ardente correpti fuerunt; Medicus Domino frigidam propinavit, non Servo; Dominus convaluit, Servus occubuit.

Et enimverò, ſi lingua arida conſimilem in viſceribus arguit ariditatem, quæ rogo coctiones ſine potionibus ſperari poſſunt? ignorabat ne Galenus coctionem fieri elixando, non aſſando? largæ ergo potiones in his caſibus, & ad coctionem, & ad evacuationem diſponunt, juxta Hippocratis (g) aphoriſmum. *Corpora ubi quis purgare voluerit fluida facere oportet*. Ego loco aquæ ſimplicis ſoleo, ad imitationem Hippocratis, uti aquà hordei integri, quod vocat ipſe hordeum Achilleum, ex cujus potione pulſus extolli, urinam cieri, & poſt aliquem diem alvum expurgari perpetuò obſervavi, non ſine maximà Ægrotantis utilitate, qui cum non

(f) 7. *Colliget. cap.* 8.
(g) *Aphor.* 9. *ſec.* 2.

non rarò pravis fermentis, & humoribus ſit onuſtus, nec ratione febris ardentis pharmaco purgari poſſit, tutò recipit ab hac aquà evacuationis beneficium. Potio hæc juxta Hippocratis (h) deſcriptionem fit ex Hordei exſicati, acutis ſpicis ſpoliati, & optime abluti heminà unà, hoc eſt unciis novem, Aquæ Congio uno, hoc eſt libris novem; coquatur ad medietatem, frigefiat, & propinetur.

Tandem, nec probare poſſum quod ultimò addit Galenus, tales potiones duntaxat concedendas. *Vbi febris eſt maxima*; ſæpe enim in praxi obſervamus linguas aridiſſimas, & ſitim inextinguibilem, cum febre tamen miti, ac malignà, ubi non minus neceſſarius eſt aquæ potus ad ſatietatem; in his autem caſibus aqua, nec gelida, nec ſimplex eſſe debet, ſed moderatè frigida, aut tepida, & vel hordeata, vel cum paucà olei amigd. dulcium portione, ad formam levis hydrelei, præſertim ubi motus adſint convulſivi; quoniam ſiccitas in hujuſmodi febribus non fit ab ardore vehementi, quam ſolam novit Galenus, ſed à ſalibus vitriolicis, aluminoſis, ac ſtipticis, quæ, ad inſtar coaguli, limpharum tollunt fluiditatem, & glandularum ſalivarium vaſa excretoria ſtrangulant, ne ſuum effundant liquorem per univerſam faucium, & æſophagi cavitatem, eſt ergo neceſſe dicta ſalia, aquarum affluentià diluere, ac diſperdere, & una cum ipſa aquà ad urinæ vias, aut ſeceſſus elutriare.

ANI-

(h) 3. *de Morbis*

ANIMADVERSIO III.

De Somnolentia.

VUlgaris Medicorum praxis efficacius remedium ad ſomniculoſos excogitare neſcivit, quam illos ad quatuor Veſſicantium vigiliam condemnare, quorum vi, licet momento temporis, ac durante carnificinà, vigilant, ac ſtrident, vix tamen faſcias ligare terminavit Chirurgus, & jam alto ſopore, ut antea obruuntur. Ego ſane, qui in febribus curandis non unquam magni exſtimavi hoc remedii genus, quod terrore exſtimationem extorſit, alio efficaciori præſidio uti ſoleo, quod raro expectationem fefellit, purgante nimirum catharti co, id mihi ſuadente Hippocratis obſervatione (i) in Pitonis filio, cui. *Febris incepit magna*, deinde addit. *Bilioſa eruperunt, & ſtatim ſopor ſedatus eſt*. Nec abſimilis eſt textus ille in coacis (l) prenotionibus. *Qui comate preſſi labore, & laxitudine fracti obſurduerunt, erumpente alvo rubra deiiciunt circa criſim, idque juvat.* Docet ergo Natura, quomodo veternus in febribus ſit curandus, quam Medicus debet imitari. Notentur etiam verba illi primi textus. *Bilioſa eruperunt*, & illa ſecundi textus. *Rubra deiiciunt*. Ad illorum errorem corrigendum, qui craſsà nimis Minervà, acutarum febrium ſomnolentiam à pituità circa cerebrum ſtagnante fieri putant, quare poſt-

(i) 7. *Epidem.* (l) *Coacar. lib. 5.*

poſtquam fæmorum, & brachiorum veſſicantia irrita conſpexerint, aliud cervici infligunt derivandi gratià per partem proximam; valeat hoc quantum valere poteſt in apoplexià, aliove capiplenio cum, vel ſine febre, nam ego non controvertam; at in febre acutà bilem evacuare expedit, ſi Ægrotum excitare ſit animus. *Bilioſa eruperunt; & ſtatim ſopor ſedatus eſt, Rubra deiiciunt idque juvat, Rubra*. Explicat Hollerius bilem eruginoſam, quam vocant Arabes bilem rubram.

ANIMADVERSIO IV.

De Parotidibus, ac Punticulis.

PArotides ſymptoma ſunt adeò violentum, ac præceps, ut, ſi in principio, vel augumento acutæ febris appareant. Pauci admodum, aut nullus evadat, ſi in ſtatu, aut poſt vigeſimum diem, ſuppuratæ, & apertæ curationem trahunt in longum, quandoque cum exitu fælici, ſed non raró copioſà expurgatione paulatim vidi Ægrum conſumi, & ad hecticam, ac tabem perduci; atque ita obiiſſe crediderim Scimni Pictoris Ancillam apud Hippocratem, de qua loquens Valleſius (l) in Commentario. *Obiit autem*, inquit, *Ancilla Pictoris per ipſam ſuppurationem, nimirum facto majori abſceſſu quam, ut ferri poſſet, & lethaliter computreſcentibus quibuſdam particulis*. Praxis ordinaria eſt illas acerbas igne aperire, ut aliquis materiæ detur exi-

(l) 1. *Epid. ſec.* 3. *tex.* 37.

exitus, antequam ex redundantià, & loci anguſtià, vel ad cerebrum retrocedat, vel ad fauces, & tracheam deſcendens ſuffocet Ægrotum; at ex vulnere acerbo pauci adeo momenti eſt exitus, ut parum, aut nihil prædicta pericula remoretur; qua de re philoſophans ego cogitavi, cum ſint parotides clariſſima turgentiæ ſigna, melius fore conſilium forti cathartico tales humores à capite ad ſeceſſum revellere, nec mea me fefellit opinio; ter enim tali experimento fœlicem ſortitus ſum eventum parotides in prima apparitione divertens, vel ſaltem turgentiæ pericula declinans honeſtà, ac ſalutari ſuppuratione.

Hippocrates in ſupra citato textu ait. *Soluta ſunt omnibus, quibus non ſuppurabant, ſed ad veſſicam convertebantur*. Galenus autem in Commentario vocat. *Admirabilius, & rarius parotidas circa ſuppurationem ſolis partium inferiorum excretionibus curatas eſſe*. At urinam provocare, nec tam certa, nec tam ſubita in manu Medici eſt operatio, ut ſeceſſum promovere, hanc ergo excretionem potius quam illam tentare juvabit. In eodem Commentario Valleſius. *Quibusdam*, inquit, *non ſuppuraſſe dicit, hiſque bene ſolutas eſſe parotidas factà converſione excrementorum ad veſſicam, nimirum, ut ſolet ſurditas alvi profluvio ceſſare, ceſſarent, verò, & parotides alvi profluo, & ſurditas profluvio urinæ*.

Nec apud eundem Hippocratem (m) favore purgationis authoritates, & exempla deſiderantur; Pri-

(m) 1. *Epid. ſec.* 3. *tex.* 35.

Primo enim epidem. ſcripſit. *Quæ circa aures in febribus erumpebant tubercula cum dolore, quibuſdam deficiente judicatoriè febre, neque ſedantur, neque ſuppurant, hæc diarrhæa biliosa, aut dyſenteria, aut craſſarum urinam ſubſidentia ſolvit, ut Hermippo Clazomeno.* Item alibi Hippocomi (n) narrat hiſtoriam, *cui tumor juxtà aurem incœpit, & febris, & rigor, & diù magis tumeſcebat, & dolebat tumor &c. vixit autem uſtus, & purgatus per catapotium.*

Punticulæ vocatę à Galeno (o) exanthemata, ſicca, etſi, ut plurimum ſigna ſint evidentia febris malignæ, & peſtilentialis, attamen antequam funeſtam prognoſim proferamus, & ad fortia medicamenta confugiamus memorià tenere debemus Hippocratis monitum ſæpe in prognoſticis repetitum, quando ſignum aliquod lethale pronunciat. *Sed oportet alia ſigna contemplari.* Non enim unico læthali ſigno interire poſſibile eſt; ita etiam febrem petechialem malignam, aliquod aliud grave ſymptoma neceſſariò concomitabitur, quod certiorem prognoſim firmabit; alioquin ex Peredæ (p), Io: Colle (q), Zacuti (r), & aliorum obſervationibus febres punticulares non ſemper ſunt malignæ, gravibuſque, ſtipatæ ſymptomatibus, & ſæpe ego in pueris obſervavi febres ephimeras cum

pun-

(n) 5. *Epid. tex.* 16.
(o) 5. *meth.* 1. 2.
(p) *Lib.* 2. *in meth. Paſchal.*
(q) *Lib.* 1. *de morb. contag.*
(r) *Lib.* 3. *prax med. mirab.*

punćticularum eruptione, immò teſtatur Marcellus Donatus, non modo tertianam ſimplicem, & benignam cum punćticulis vidiſſe, ſed bis etiam copioſas, & ſine febre.

At quoniam Punticulæ adeò pulicum morſibus ſimles ſunt, ut Medico impoſturam facere poſſint præſertim in febre acutà, & in Pauperum domibus ſorditie ſcatentibus, proponit ibidem Zacutus facillimũ experimentum ad illos diſtinguendos, farinam nempè Lupinorum aceto permixtam, ad cujus applicationem pulicum maculæ evaneſcunt, non ita punticulæ; addit item, à pulicum morſu maculam non fieri ita purpuream, ut à punticulis.

ANIMADVERSIO V.

De ićteritià in febribus acutis.

TAxant Plinius, & Averroes Hippocratem (t) in eà ſententià. *Quibus in febribus morbus regius ante ſeptimam diem accidit, lethale*, ait enim Plinius (u) *Hippocrates à ſeptimo die in febribus mortiferum ſignum eſſe docuit, nos ſcimus vixiſſe aliquos etiam ab hac deſperatione*. Majori tamen doćtrinæ fundamento taxantur ipſi à Valleſio, (x) eo quod genuinum ſenſum Hippocratis (y) non intellexerint, in eo textu, in quo non adeſt ver-

bum

(t) 4. *Affećt.* 62.
(u) *Lib.* 26. *Hiſt. nat. cap.* 12.
(x) *Lib.* 10. *controverſ. cap.* 9.
(y) *Et lib.* 1. *epid. ſec.* 3. *tempeſt.* 3.

bum *Thanaſimon*, quod ſignificat lethale, ſed *Kacon* quod ſignificat ſimpliciter malum; atque hanc fuiſſe Hippocraiis (z) mentem manifeſtè colligitur ab ejuſdem obſervationibus epidemicis ubi habet. *Quibuſdam morbus regius accidit ſextà die; verum his purgatio per veſſicam, aut alvus exturbata profuit, aut larga ſanguinis eruptio, velut Eraclides qui decumbebat apud Ariſtocidem, nam huic, & è naribus ſanguis erupit, & alvus turbata eſt, & per veſſicam purgatus eſt, non velut Phanagoræ ſervus, cui nihil tale factum eſt, & mortuus eſt.*

Ab hoc textu documentum elicitur, quid Medicus in his caſibus agere debeat, quando nullam ex dictis evacuationibus Natura tentaret. Ego pluries, exhibito purgante, extra periculum perduxi: advertendum tamen, quod ſi icteritia ab inflammatione dependet, ut ſolet in hepatitide, in hoc caſu non pnrgans medicamentum, ſed larga ſanguinis miſſio eſt facienda.

At non adhuc tamen ſolutus videtur difficultatis nodus, alibi enim ſcripſit Hippocrates (a) icteritiam ante ſeptimam diem, non modo malam non eſſe, ſed ſalutarem. *In bilioſà febre*, ſunt ejus verba. *Morbus regius cum rigore ante ſeptimam diem enatus morbum ſolvit, ſi verò abſque rigore præter occaſionẽ ſupervenerit peſtiferum.* Diſtinctionem ipſe facit Hippocrates, ſalutarẽ vocans icteritiam cum rigore, peſſimam ſine rigore, remanet ergo duntaxat indaganda ratio hujus diſtinctionis.

Di-

(z) *Lib.* 1. *epid. ſec.* 3. *tempeſt.* 7.
(a) 4. *de rat. vict. in morb. acut. tex.* 81.

Dico igitur bilis motum ad cutem, vel eſſe criticum, vel ſymptomaticum. Quando eſt criticus, quia Naturæ vigor ſuperat vim humoris peccantis illum ſeparat, & aſſatim, ac magno impetu ad cutim expellit, ubi ſuo ſale pungente rigorem inducit: ſecus verò quando eſt ſymptomaticus Natura gravata, & ad expellendum non ſatis valida, paulatim, irritationis vi, illum extrudit, quare ad rigorem cauſandum non eſt ſufficiens.

Hæc ratio à Galeni (b) doctrinà pluribus in locis expoſità deducitur; aliam tamen clariorem libet adjungere ex noſtris hermeticis principiis. Bilis, ut ſpagiricà anhaliſi demonſtratur, ſalinis partibus, ac ſulphureis, ſive oleoſis integratur, & juxta alterutrarum exceſſum, aut defectum, diverſæ indolis ac ſpeciei reſultant icteritiæ, quæ diverſam pariter curationem requirunt. Quando bilis ſalinà parte depauperatur, tunc viſcidior, ac denſior evadens obſtruit cyſtim felleam ductuſque colidocos, & communiorem cauſat icteritiam, bilem ad cutim diffundens, quæ præ ſalis penurià cutim pungere, ac rigores producere non eſt apta; hinc etiam alvi ſtipticitas, ac nauſea reſultat; atque hæc, ni fallor ea eſt icteritiæ ſpecies, quam vocat Hippocrates (c) ex pituità, & confirmat Galenus de ſimplicibus ſcribens, Atriplicem ad auriginem ex pituitæ infarctu prognatam utilem eſſe. At quando bilis, eatenus à ſanguine ſeparatur, quatenus plurima eſt, & ſalibus acribus abundans, tunc icteri-

ri-

(b) 10. *meth.* 2. *de diff. febr.* 2. *de criſibus.*
(c) *Lib. de internis affect. lib.* 6. *de Simpl.*

ritias non alvi ſtipticitas, immò diarrhæa frequenter concomitatur, & rigores contingunt. Ab hac ergo Bilis ſpecie, præ ſuà tenuitate, ac fluiditate criſes ſalutares, etiam ante ſeptimum promoveri poſſunt, quando altera, præ ſua viſciditate apta potius eſt ad gravandum, per viſcera, & vaſa colidoca ſtagnans, quare ex illà proveniens ictéritia non eſt Naturæ motus ad expellendum inſurgentis, ſed obſtructionum effectus, quæ illius à gremio ſanguinis ſegregationem impediunt. Hæc doctrina in eriſipelate videtur eluceſcere, quando enim eriſipelas cum rigore incipit, celeris eſt motus, & expanſionis, humoris tenuitatem demonſtrans, contra verò quando fit ſine rigore tardè expanditur, & cum tumore edematoſo, qui morbi diuturnitatem portendit.

Quid quid tamen ſit, hoc pro methodo documentum eliciamus, quod quando icteritia cum rigore advenit, non debet Medicus illi occurrere purgantibus, aut phlebotomià, ſed criſis exitum expectare, quæ ſi non fuerit ſufficiens tunc opportunis remediis ſupplere poterit, quando verò ſine rigore apparuerit; ſtatim cathartico medicamento ſolvere, movere, ac minuere debet bilem ſtagnantem, & motus critici incapacem.

ANI-

ANIMADVERSIO VI.

De Epilepſia.

ETſi Hippòcratis(d) fuerit ſententia Epilepſiam poſt vigeſimnm quintum annum eſſe inſanabilem. *Quibuſcumque morbi comitiales fiunt ante pubertatem mutationem accipiunt, quibuſcumque autem vigeſimo quinto anno fiunt, his magnâ ex parte commoriuntur.* Nihilotamen minus non debemus ab hac doctrinâ terreri, ne curationem audacter aggrediamur in qualibet ætate, cum plenæ ſint noſtrorum Authorum obſervationes hujuſmodi curationum fœliciter peractarum, & ipſe ego teſtari poſſum aliquot à me expugnatas fuiſſe, non modo illarum quas vocāt ſympaticas à viſceribus, aut membris inferioribus pravum fermentum ad caput elevantibus, ſed & illarum quæ idiopaticæ cenſentur, ex vitio organorum nervoſi generis, & cerebri, vel innato, vel diuturnirate morbi contracto, juxta comune dicterium, quod morbi ſympatici diuturnitate temporis fiunt idiopatici; non quod credam, vitiatam organorum internorum ſtructuram poſſe à medicamentis emendari; ſed quia organa plerumque ſe habent merè paſſivè, colligendo, & elutriando in nervorum principia fermenta virioſa, quæ ſi opportunis pharmacis expurgarentur, aut extinguerentur, organa malè affecta ocioſa remanerent,

H ut

(d) *Aphor. 7. ſec. 5.*

ut idraulica inſtrumenta, quibus, aquà deficiente, ceſſat illicò omnis ludus, aut ſonitus.

Quo ad Hippocratis Aphoriſmum, notandum Primo loco propoſitionem illam non eſſe abſolutam, ſed cum particula, *magna ex parte*, remanet ergò non nullis aliqua ſalutis ſpes; præthereà exiſtimo ego, verificari doctrinam quando aliquis ab infantià, vel pueritià epilepticus evadens, vigeſimo quinto ætatis anno adhuc perſeverat; arguit enim tunc pravi fermenti pertinaciam, & idiopaticum ſtructuræ vitium; at quando poſt vigeſimum quintum incipit, quæ ratio ſuadere poterit medicamentis eſſe inexpugnabilem? nulla ſanè, cum experientia refragetur.

Curatio itaque, qua in hoc morbo uti ſoleo tum in Pueris, tum in Adultis, aut Senioribus, paucis medicamentis obſolvitur, ſed efficacibus; nec unquam experientiæ reſpondere vidi celebrata illa ab aliquibus miracula Peoniæ, aut Valerianæ, niſi fortè aliqua chimica præparatio purum ſegregans ab impuro, aut aliqua aſtrologica obſervatio opportunis lunationibus eas colligendi efficaciores illas redderet, de quo ſit veritas, & fides, apud Authores.

At mirari ſatis non poſſum communem ferè Medicorum praxim (Doctores excipio) illa eadem calida, & acuta medicamenta epilepſiæ præſcribere, quæ apoplexiæ ſolent eſſe familiaria, Rutam nempe, caſtoreum, Roſmarinum, Piretrum, Aſſam fætidam, Moſcum, Ambram, mel ſcilliticum, oleum Succini, & ſimilia, errorem, ut puto, natum

tum ab illo Galeni præjudicio exiſtimantis utrumque morbum ab eàdem cauſa pendere, ſcilicet pituità, ac diſtingui duntaxat ſecundum magis, & minus, eo quod apoplexia arguat totalem obſtructionem, epilepſia verò imperfectam, cum tamen à motuum convulſivorum, ac ſtrangulationis violentià diſcere potuiſſet, id quod Recentiores didicerunt, epilepſiæ cauſam in ſpiritu acri, vitriolico, & irritante conſiſtere. *Frequenti experientià didicimus*, (advertit Quercetanus (e)) *ejuſmodi calefacientibus, & odoratis remediis auctos potius, & excitatos fuiſſe hos affectus, quam imminutos, aut ſuperatos*. Et ejuſdem ſententiæ extitit Cardanus (f) ſcribens. *Error eſt cum in epilepſià, ſine convulſione Infantium utuntur caſtoreo, rutà, mitridato, etiam circa caput aſsà fætidà, & reliquis calidis medicinis, cujus ſententiæ Authores celebres habentur, interque hos Rhaſis, quos malè Recentiores interpretati horà caſus etiam Epilepſiæ adminiſtrant, quo nihil eſſet exitiale magis, nam longe plus eſt, quod trahitur de materià quam quod evacuetur*.

Sit ergo curationis principium, vini uſum omninò prohibere, cujus vice bibat Æger aquam Viſci Quercini, ſeu Corilini; aliquod deinde Emeticum, aut purgans antimoniale exhibeatur, cujuſcunque ſit preparationis, aut purgans ex Helleboro, repetendo etiam, ut videbitur opportunum.

(e) *Tetras graviſſ. cap. affect. cap.* 18.
(f) *Libello de malo medendi uſu*.

Purgato ſatis corpore ad ſpecificum aliquod immediatè tranſeo ad duo præcipuè confugiens, mihi experta, aquam nempe ex cruſtà panis, & croco metallorum Quercetani, [g] vel oleum, buxi, quod à Quercetano, & aliis creditur eſſe, famoſum ligni heraclei oleum Martini Rulandi, alterutrum ex iſtis ſpatio quadraginta dierum non interrupto præſcribo, poſtmodum quater in menſe prope quatuor lunationes ante, & poſt.

Medicamenta præſervativa pro reliquo anni decurſu ſint diaforetica, ac dulcorantia ex ſalsà, chinà, viſco quercino, vel coriſino, & ligno buxi, atque hæc innuiſſe ſufficiat, Medici prudentiæ ac diſcretioni relinquens, ætates, complexiones, & morbi gradus diſtinguere. pro rectà dictorum medicamentorum adminiſtratione, & moderatione.

ANIMADVERSIO VII.

De Angina.

NUllus ferè morbus eſt, in quo facilius cadant æquivocationes, quam in Anginà; hujus enim veram cauſam Medici quāplures non diſtinguentes ad phlebotomiam,& frigida gargariſmata perpetuo recurrunt,nunquam autem ad purgantia, alii verò, etſi diſtinctionem non ignorent, aut præ naturali timore, aut non bene firmo experimentò, purgare nunquam audent non ſine Ægrotan-

(g) *Pharmacop. dogm. lib. 1. cap. 7.*

tantis evidenti periculo, uſque ad extremum ſanguine exinaniti, quando opportunà purgatione incolumis evaſiſſet.

Duæ Anginæ ſpecies, omnium Doctorum conſenſu inveniuntur, altera cum eriſipelatosà, aut phlegmonosà inflammatione, ac febre acutà, & huic repetitæ ſanguinis miſſiones procul dubiò conveniunt, non modò à brachiis, ſed etiam à linguà, & à cervice per cucurbitulas ſacrificatas, tum etiam gargariſmata refrigerantia.

Altera non minùs frequens eſt illa ab Hippocrate [h] deſcripta. *Angina, ſive Cynanehes fit, cum pituita in capite commota acervatim deorſum fluxerit, & in maxillas, ac circa collum conſtiterit; hic neque ſalivam deglutire poteſt, reſpirat autem violenter, ac ſtertit, & aliquando etiam febris ipſum corripit*. Hæc, ut plurimum fit ſine febre, interdum autem lenta febricula concomitatur, huic Anginæ ſpeciei nihil ferè juvare ſolet ſanguinis miſſio, utpotè quæ humorem ledentem, non exonerat, lympham nempe craſſam, & glandularem, tota autem curationis efficacia in medicamento purgante repoſita eſt, in cujus probationem audiamus primò Præceptorum doctrinas, quas poſtmodùm experimentis fulciemus.

Hippocrates de locis in homine [i]. *Angina, quam Cynanchen Græci vocant, à ſanguine fit, tum ſanguinis in venis, quæ in collo ſunt compactus fuerit: ſic affectis è venis quæ in brachio ſunt ſanguinem detrahes, & ſimul alvum infernè ſubduces,* quod

(h) *Lib. 2. de morb.* (i) *Sec. 2.*

quod id quod morbum exhibet detrahatur; idemque repetit 3. de morbis *Oportet quoque deorſum purgare medicamento, aut per cliſterem.*

Galenus in methodo [l]. *Sane linguam ita tumefactam cuidam vidimus, ut ore hominis contineri non poſſet; huic nec vena unquam inciſa fuerat, & ſexagenarius jam erat, horaque diei ferè decima erat cum ad eum primum acceſſi, & vidi, ac viſus mihi eſt uſitatis mihi pillulis, quæ ex aloe, ſcamoneà, & celocyntide conſtant, veſpere datis purgandus.*

Alexander Trallianus [m]. *Ego ſanè novi me, cum uſus valde urgeret venam mane aperuiſſe, diluculò linguæ ſubrectas aperuiſſe, & veſperi ex cremore ptyſanæ lacrimam Scammoniæ exhibuiſſe.* Et paulò infrà in alio caſu; Titimali ſuccum propinavit; atque hæ illæ ſunt Anginæ, quibus gargariſmata ex aquà vitæ ſunt proficua; ſed jam ad experimenta.

Vocatus olim properè ad nobiliſſimam Virginem, quæ maximo gutturis dolore, ac tumore premebatur, promptum ibi Chirurgum inveni cum faſciis, & calicibus, eà ſuppoſitione, quod phlebotomiam illicò eſſem imperaturus; at ego fauces aſpiciens, cum pauco rubore, ſed magno glandularum tumore, ac pituitæ farcimine, rejectà phlebotomià purgantem potionem exhibere decrevi, qua plurimum operante, veſpere ejuſdem diei libera evaſit.

Notabilior cujuſdam Monialis extitit caſus, cui,

[l] *Lib.* 14. *cap.* 8. [m] *Lib.* 4. *cap.* 1.

cui, nihil juvantibus repetitis undequaque ſanguinis extractionibus, eo pervenerat tumor, & inflammatio, ut, non modo deglutitio, ſed, & ipſa reſpiratio jam eſſet anguſtior, ac difficilior; in hoc graviſſimo ſtatu, unicam ſpem Adſtantibus eſſe dixi, ſi Scammonii ſulphurati ſcrupulum deglutire niteretur; vim ſibi fecit Ægrota, & magno licet labore cum pauco juſculo cocleatim deglutivit, hinc poſt optimam evacuationem veſpere eodem ſatis cibari potuit, & mane ſequenti omninò convaluit.

Non diſſimili ſorte Magnatis cujuſdam Secretarius, in extremo ſuffocationis periculo cònſtitutus, poſt duas phlebotomias jam tertiæ ſubjiciebatur, quam ego vocatus impediens eodem ſcamnionio purgavi, eademque die incolumem reliqui.

Addamus poſtremò quod mihimetipſi contigit anginà laboranti. Ex capitis incaleſcentià in magnum incidi gutturis dolorem, ac deglutiendi difficultatem, cum gravi ſomnolentià, maximoque lympharum ſalivarum profluvio, abſque tamen febre, & abſque ullo in faucibus rubore. Veſpere cogitans, quod in ſomno nocturno, nec ſalivarum affluentiam expuere, nec præ dolore deglutire potuiſſem, unde ſuffocationis periculum immineret, horà ſecunda noctis ſcammonium ſumere decrevi, dixique Domeſticis, ſi apoſtema nondum eſt factum craſtinà die ſanus ero, ſi verò jam adeſt, remInebit dolor, ac difficultas, ceſſabit tamen lymphæ ſuffocantis profluvium. Noctu

ſine moleſtiâ dormivi, diluculò autem cępit medicamenti operatio, ceſſarunt ſalivæ, remanente dolore, ac deglutiendi difficultate, quarè de apoſtematis præſentiâ non dubitavi, veſperè tamen ſponte fuit diſruptum, quod ſanè non tam celeriter contigiſſet, niſi ſcammonium humoribus motum, ac diſſolutionem promoviſſet. Hoc intelligentes Medici quidam lævioris notæ non omiſerunt nimiæ me animoſitatis redarguere, ſed bone Deus! ſi Galenum, & Hippocratem non legerant, an non unquam Sennertum, Mercurialem, Riverium præ manibus habuerunt, alioſve conſimiles Authores practicos Tyronibus familiares, qui omnes in anginâ medicamenta purgantia concorditer proponunt? Enim verò problema agitandum videretur, à quibus nam plura patrentur homicidia, an ab Empiricorum, & Chimicaſtrorum temerariâ ignorantiâ, an à timore panico, & inexperto Medicorum dogmaticorum.

ANIMADVERSIO VIII.

De Pleuritide.

ADeò univerſalis eſt methodus in pleuritide perpetuò ſanguinem mittere, ut non levem Vulgi cenſuram nanciſceretur Medicus ille, qui primà ſtatim doloris lateralis apparitione phlebotomiam non imperaret; non hæc tamen Hippocratis, & Galeni fuit mens, qui non ad Vulgi captum, ſed juxtà Artis documenta medebantur.

Et

Et ab Hippocrate [n] exordientes, duas cum eodem pleuritidis ſpecies primò diſtinguemus, humidam, & ſiccam, humidam, quæ in ſputa diſſolvitur, ſiccam, quæ ſine ſputo. Siccæ omninò, & abſolutè ſanguinem ait extrahendum. *Huic venam ſecare conducit in manu ſplenitidem appellatam, aut hepatitidem, juxta utram ſane fuerit morbus*. In humi dà locum idiſtinguit, ad quem dolor extenditur, ſi enim ad claviculam vergit ſanguinem mittit, ſi ſubſepto tranſverſo purgans præſcribit [o]. *Sectio autem venæ non ſimiliter ſolvit dolorem ſi non ad claviculam pertingat dolor*. Sequitur deinde. *At ſi quidem dolor ad claviculum de ſe ſignificatiouem præbeat, aut gravitas ad brachium, aut circa Mammam, aut ſupra ſeptum tranſverſum, venam ſecare prodeſt in Cubiti flexurà internam, & non cunctari copioſum ſanguinem detrahere, donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro, & rubicundo lividus, utrumque enim contingit; ſi verò ſub ſepto tranſverſo fuerit dolor, ad claviculam autem de ſe ſignificationem non præbeat, alvum mollire oportet, aut veratro nigro, aut peplio*.

Galenus in commentario aliquam in hac doctrinà difficultatem experitur, eo quod in Acutis raro ſit purgandm, & ſecuriorem exiſtimat methodum ſanguinem mittere, tam in pleuritide ad claviculam, quam ad ſeptum tranſverſum, & ejuſdem ſententiæ videtur eſſe Paulus Ægineta [p]. *Si dolor ad ju-*

[n] 1. *de Morbis* [o] *De rat. vict. in acut. ſect.* 2.
[p] *Lib.* 3. *cap.* 33.

jugum uſque pervenit, remedium eſt ſanguis dimiſſus, ſin autem ad præcordia deſcendat, purgatio; Recenſiores autem omnibus venam incidunt, veriti, ut opinor, turbationem, quam purgatio ſolet accerſire.

At enim verò mihi videntur prædicti Authores magnà æquivocatione decerpti fuiſſe; nunquam enim, ut puto, ſomniavit Hippocrates ulli pleuritidi purgans medicamentum præſcribere, ſive ſuperiori, ſive inferiori, ſed utrique ſanguinem ait extrahendum, ut Galeni eſt conſilium, & communis eſt praxis, ſi textum ſupra citatum ſedulò perpendamus, ait itaque Hippocrates. *Si dolor ad claviculam, aut brachium &c.* (en pleuſitis ſuperior) *aut ſupra ſeptum tranſverſum* (en pleuritis inferior) *venam ſecare prodeſt*. Proſequitur inde. *Si verò ſub ſepto tranſverſo fuerit dolor alvum mollire oportet veratro*. Quis non videt jam non eſſe amplius pleuritidem? ſive enim conſideretur inflammatio in pleurà coſtas cingente, ſive in eà quæ pulmones veſtit, nec Coſtæ, nec pulmones jacent ſub ſepto tranſverſo, ſed ſupra.

Qualis autem ſit dolor ille ſub ſepto tranſverſo, cui purgans medicamentum proponit Hippocrates, lucem ab eodem deſumamus in Coacis prænotionibus. Bis in eo libro ſermonem habet Hippocrates doloris cujuſdam lateralis, cum febre, & uno in loco illi diarrhæam juvare aſſerit, in altero phlebotomiam nocere. In primo textu (q) *Quibus in febribus, dolore lateris fiente, alvus multa aquoſa, &* *bi-*

[q] *Sec. 1. verſ.* 83.

biliosa egerit, hi alleniantur. In altero textu (r) *Dolores juxta latus in febribus tenuiter conſiſtentes citra nothas venæ ſectio læſerit, ſive cibum aver, ſetur Æger, ſive præcordium ſublime habuerit.*

Loquitur Hippocrates in his textubus de dolore quodam laterali citrà nothas, hoc eſt ſub coſtis mendoſis, quod idem eſt ac alibi dixerat, *ſub ſepta tranſverſo*; de quodam, inquam, dolore vago, quem ſæpè in praxi obſervamus, modò euntem, modò redeuntem, ut explicant verba illa, *Dolore lateris flente*, tum etiam altera illa, *Dolores tenuiter conſiſtentes*, facti nimirum ab humoribus ſeroſis, & bilioſis, quibus prodeſt diarrhea, quoniam humorem peccantem evacuat, qui fluidus eſt, haud ſtagnans, nocet autem phlebotomia, quoniam hæc, ut ſupra probavimus nocet morbis omnibus à bile oriundis.

Hic ergo eſt genuinus Hippocratis ſenſus, nec ulla aderat veriſimilitudo, helloborum ab eodem propinari in pleuritide, ubicunque illa ſit, quando ipſe in eodem libro (s) à purgantibus abſtinere nos docet in in inflammationibus. *Quacumque ea, quæ inflammata ſunt ſtatim in principio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intenta quidem, ac inflammato nihil auferunt, non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda eſt, quæ verò morbo reſiſtunt, & ſana ſunt colliquefaciunt.*

Compleamus Hippocratis (t) doctrinam, textu illo in libro de humoribus, quem ad verbum repetit

[r] *Sec. 3. verſ. 79.*
[s] 4. *acutor.* [t] *de humorib. num. 9.*

tit in Epidemiis (u) [*Convenit quibuſdam ſanguinem detrahere tempeſtivè in talibus*], *in aliis autem velut in his non hoc convenit; Impedimentum in ſpuentibus cruenta, anni tempus, pleuritis, & bilis*. Impedimentum intelligit ſanguinis detractionis, ut Galenus interpretatur, & ut clarè apparet à textus lectione, qui diſtingcit ubi, & quando conveniat ſanguinis miſſio, & miror valdè Valleſium, qui illud, *impedimentum*, in alienum ac mendicatum ſenſum torquere ſtudet, eo quod durum illi videatur, pleuritidem eſſe impedimentum ſanguinis detrahendi, quaſi recta methodus non doceat, quando ex rupto pleuritidis abſceſſu cruenta ſi expuitio, tunc erroneam, ac noxiam eſſe phlebotomiam; eſt ergo rationi conſonum documentum in cruenta ſpuentibus, quod pleuritis tunc temporis nun indicat, ſed prohibet ſanguinis dectractionem; in aliis enim ſanguinis ſpuitionibus convenit ſanguinis miſſio ad illius plethoram minuendam, & à venà apertà revulſionem faciendam, at in pleuritide diverti non debet cruenta illa ſpuitio, quæ ſanguini ſtagnanti, & rupto apoſtemati exitum præbet; quam ſanè cautionem ipſe idem Hippocrates (x) exercuit in Piſiſtrato pleuritico, cui ſanguinem] ſpuenti, ſanguinem non detraxit, & convaluit.

Credo tamen in hac doctrinà aliquam cadere poſſe limitationem, advertendo Hippocratem non dixiſſe, *in cruorem ſpuentibus*, 'ſed *in cruenta ſpuentibus*, ſputum nempe cruentum, quale pro-

pe-

[u] *6. Epid. ſec. 3.* [x] *7. Epid. ſec. 2.*

pemodum rupti apoſtematis eſſe ſolet, alioquin, ſi, ut non raro obſervavi, in pleuritidis ac peripneumoniæ principio ſangnis meracus, & abſolutus expuatur, in his caſibus, procul dubiò ſanguis eſt detrahendus, hæc enim eſt emophtiſis inflammationi conjuncta, quæ à parte affectà totis viribus eſt revellenda.

Poſt Hippocratem, etiam à Galeno aliquod eliciamus documentum, qui obſervaſſe teſtatur, quod etiam obſervavit Aſclepiades, Pleuriticos Romæ, & Athenis à ſanguinis miſſione male habere, eo quod ambæ iſtæ Urbes ventis meridionalibus ſunt expoſitæ; è contra juvari in Paro, & Helleſponto, quæ ventis ſeptentrionalibus objiciuntur; hinc, ut narrat Hollerius (y) Medici Narbonenſes Pariſinos Medicos redarguebant, utpotè nimis audacter Pleuriticis ſanguinem extrahentes; at quia Pariſiis boreales venti dominantur, Galliæ verò Narbonenſi; Auſtrales, utroſque Medicos rectè agere putandum.

Addamus ex eodem Galeno, (z) quod, *Interdum pleuritis placida eſt, & mitis, neque neceſſe eſt ſanguinem mittere*. Et quidem ego indicationem elicere ſoleo non à febris exiguitate, quæ interdum ob ſanguinis craſſitiem, ac lenteſcentiam talis eſt, eapropter phlebotomiam magis indicat, ſed à dolore, à pulſu, & à temperamento; ſi enim dolor mitis eſt, pulſus non durus, temperamentum non phlethoricum, à ſanguine libenter abſtineo;

[y] *Aphor. 2. ſec. 1.*
[z] *Comment. 3. de humorib.*

neo; Addo inſuper, licet febris, & inflammatio tales ſint, quibus neceſſaria ſit phlebotomia; attamen poſt unam, atque alteram, deſinendum eſſe, non ſemel enim in praxi adnotavi ex tertià phlebotomià, me reluctante celebratà anhelitus difficultatem augeri, ex quartà demum Ægrotum in præceps ruere; cum enim cruor ex nimio diſpendio plurimum de ſuo volatili amittat; craſſior inde, & ſtagnare magis aptus evadit in vaſis pulmonum;

Sed quod magis refert in pleuritidem maligni cavendum omninò eſſe à ſanguinis miſſione, & rationes, & experimenta ſuadent; ait enim Bartolettus (a) diuturnà praxi ſe comperiiſſe, omnes ferè, quibus in pleuritide malignà ſecta eſt vena, mori, & vitæ periculo defungi eos, qui fuerint curati, abſque phlebotomià; hoc idem teſtantur (b) Geſnerus. (c) Vierus, & (d) Bartolinus; Ratio autem eſt, quia in eo caſu pleuritis non eſt morbus, ſed ſymptoma febris malignæ, cujus ſanguis degener à ſuà indole fluidà, & ad ſtagnandum pronus in pulmonibus, & pleurà quoquomodo ſubſiſtit, doloremque pſeudo pleuriticum parit.

Claudamus hanc Animadverſionem experimentali documento magnæ utilitatis, in pleuritide nimirum, ac peripneumonià nullum efficacius inveniri remedium, quam bis, ac ter in die diaphoreti-

[a] *Method. de reſpir. lib. 5. cap. 4.*
[b] *Lib. 5. epiſt.*
[c] *In obſervat.*
[d] *Natur. curioſ. Germ. ann, 1. obſerv. 51.*

reticum aliquod exhibere, ex ſtibio pcæſertim, & ſanguine hyrcino compoſitum in forma boli, vel electuarii, cum ſyrupo de pavavere rubro, vel conſimili; evitentur tamen diaphoretica in forma ſpirituum, aut, quinteſſentiæ, quæ & inflammationem augere, & vaſorum rupturam cauſare poſſent. Equidem bona fide teſtari poſſum, me plurimos vidiſſe in deterrimo ſtatu, & ab aliis Medicis deploratos, diaphoreticorum hujuſmodi beneficio convaluiſſe, modò ſudorem, modò urinam provocando, modò etiam, abſque ulla ſenſibili evacuatione ſanguinem diſſolvendo, & anacatharſim promovendo.

ANIMADVERSIO IX.

De Purgantibus in moribus pulmonum.

ETſi in morbis pulmonum ſolvens medicamentum exhibere communiter piaculum exiſtimetur, eo quod via competens à pulmonibus ad vaſa urinaria, non autem ad ſeceſſum credatur, attamen non raro contingit hujuſmodi ægrotantes Purgantium ope à mortis faucibus revocari: Martinus enim Rulandus (e) pleuritides, alioſve pectoris morbos quamplurimos enarrat, ſenà, agarico, aquà benedicta, & ſimilibus à ſe fœliciter ſanatos; immò Septalius (f) tres proponit potiones, quas vocat Pleuriticorum præſtantiſſima remedia, primam

[e] *Curat. empiricæ.*
[f] *Adverſ. lib. 7. cap. 126.*

mam,ex tribus unciis mell.roſ. ſol. ac totidem butiri recentis, alteram ex quinque unciis olei amigd, dulc., & uncià unà Mannæ, tertiam ex olei olivarum unciis ſeptem, cum libris undecim aquæ communis decocti ad conſumptionem aquæ; his meas addere libet hiſtorias, & quæ in montem redeunt experimenta.

Vocatus olim noctu ad Eminentiſſimi Cardinalis Aulæ Præfectus, tuſſi, & catharro ſuffocante, vexatum, potionem illi præſcripſi ſtatim ſumendam ex Diaphinico, mannà, & decocto pectorali, cum ſenà, qua plurimum operante, manè liberum inveni.

Matronæ cujuſcam Ancilla, poſt cinaras crudas, amigdalas virides, carneſque ſuilla plurimum ingurgitatas incidit in ſpuriam peripneumoniam, cum febre, nec, niſi erectà cervice reſpirare poterat; Mannam illi cum oleo amigd. dulc. ac decocto pectorali cum ſenà propinavi, & habità copioſà evacuatione, ſeptimà die convaluit.

Virgo quædam hebræa, poſt frequentem crudorum cotoneorum comeſtionem, ſiccà, & violentà tuſſi, noctu, diuque adeò fuit correpta, ut nec cibum, nec ſomnum ſumere illi permitteret; Medicus hebræus per duos ferè menſes cuncta tentaverat, olea, butirum, mulſam, ſyrupos, narcotica, ſed irrita omnia, tuſſiſque ſemper violentior; Vocatus ego, & omnem revolutum lapidem inveniens mercurium dulcem, cum ſcammonio ſulphurato animosè præſcripſi, quo ſolo medicamento, immediatè poſt operationem inſperato conva-

va-

valuit; nec ſine exemplo mea fuit animoſitas, bina enim memineram me perlegiſſe apud Riverium (g) conſimili pharmaco ſanata, quod vocat ipſe Chalomelanos.

Tandem, dum hæc ſcribebam duos Fraterculos aſthmaticos ac tuſſiculoſos alterum Dominicanum, alterum Bernabitam ſanavi, exhibità utrique potione catharticà. Cum itaque modo optima, modo peſſima ſint in morbis pectoris purgantia operis erit complementum diſtinguere quibus in caſibus juvare, vel nocere ſint apta.

Dico igitur pulmonum, ac thoracis morbos, vel eſſe emophtoicos, vel convulſorios, vel inflammatorios, vel ſimpliciter humorales ex catharro, aut ſeroſitatibus. Emophtoici, & convulſorii à purgantibus omninò cavere debent, ſed phlebotomià potiùs frequenter ſunt tractandi; idem ferè de inflammatoriis eſt aſſerendum, ex trità Hippocratis doctrinà, quod nihil detrahant à parte inflammata. Quod ſi in Pleuritide purgantibus ſint uſi Rulandus, & Septalius, id ſanè non niſi in principio licuerit, quando morbus adhuc eſt in fieri, & inflammatio nondum per abſceſſum, aut vomicam eſt introducta, purgans enim benignum humores revocans affluentes pleuritidis progreſſum aut incrementum poteſt avertere, fortaſſe etiam fortunatà Rulandi temeritate abſceſſum jam maturum potuit diſrumpere.

Solis ergo pulmonum morbis ſimpliciter humoralibus, aut cum febre, aut ſine febre, ſive cum

 tuſſi

(g) *Cent.* 3. *obſerv.* 31. & 47.

tuſſi, ſive cum aſthmate, ſive cum utroque purgans medicamentum erit opportunum, hac duntaxat diſtinctione, quod in tuſſi tutior erit in forma potionis cum decoctionibus pectoralibus, præſertim ſi humor peccans eſt Catharrus, morbuſque jam cronicus, ſecus verò quando peccant ſeroſitates, tunc enim etiam cum tuſſi optima ſunt medicamenta hidragoga, tuſſes autem à ſeroſitatibus non rarò progigni rectè adnotavit Carolus Piſo (h) nec in caſu turgentiæ, & magnà anhelitus difficultate, quæ in lecto jacere prohibeat, ſpes ulla in diureticis eſt habenda, etſi alioquin congrua ſit in morbis illis ad urinam diverſio; tarda enim, & incerta illorum operatio periculo imminenti non ſuffragatur.

ANIMADVERSIO X.

De Emophtiſi.

DE hoc morbo fusè diſſerui in meo Apolline Bifronte, quam diſſertationem, ut legant, conſulo meis Diſcipulis ad evitandos errores, & equivocationes, quæ non rarò ſumuntur in illius curatione.

Tres in emophtiſi curandà frequentiores errores jamdudum obſervavi; primus eſt, ſtatim ad adſtringentia confugere, ſecundus, victum incraſſantem perpetuò præſcribere, tertius ad aerem maritimum Patientes illicò tranſmittere; in quo-

(h) *De morb. ab illuvie ſeroſa.*

quorum evidentiam Galeni (i) diſtinctionem memorare opus eſt, triplici ſcilicet modo hæmorrhagiam cõtingere poſſe à quacunque parte, per venæ, aut arteriæ diſruptionem, quæ dicitur rixis, aut diæreſis, per earundem in extremis oſculis aperitionem, quam vocat anaſthomoſim; & per exſudationem à poroſitatibus venarum, quæ dicitur diapedeſis.

Diſruptio, vel fit à cauſa externa, vulnere, aut contuſione, & medicamenta adſtringentia, & agglutinantia ſtatim requiri non eſt ambigendum, vel fit à cauſa intrinſecà, eroſione nimirum ab humoribus ſalſis, & mordacibus, & victus incraſſans erit proculdubiò conveniens.

Aperitio, ſive anaſthomoſis (omitto nunc, hanc etiam eſſe ruptionem, ut in Apolline Bifronte demonſtravi) fit à nimià ſangunis redundantià, & craſſitie, & ambas haſce conditiones ſimul ac promiſcuè conſidero, quoniam mutuà quadam cauſalitate, ſi una præcedit, altera neceſſariò ſubſequitur; ſi excedens copia præcedit, hæc ſpatium ſufficiens intra vaſa non habens, ut fermentari valeat, ac rareſieri, denſari, & incraſſari neceſſe habet; ſi verò craſſities præcedit, aut ex cibis incraſſantibus, aut ex acidis coagulantibus, diminutà, ex volatilium defectu, tranſpiratione, jamjam illius redundantiam ac turgentiam in vaſis ſubſequi eſt neceſſe; ex tali ſyſthemate manifeſtè reſultat non victum incraſſantem, ſed attenuantem in Anaſthomoſi indicari, uſumque adſtringentium

 ſum-

(i) 5. *Meth.*

ſummè eſſe perniciosſum, præpeditâ enim ſuperflui ſanguinis excretione, quid aliud expectare poſſumus, quam, aut vaſis alicujus diſruptionem, aut aſthmaticam affectionem, aut tuberculorum in pulmonibus congeſtionem, ut non ſemel obſervavimus.

In Diapedeſi, ſive tranſudatione non levis etiam intervenit æquivocatio; videntes enim Nonnulli ſeroſum illum ſanguinem, putant totam ſanguinis maſſam tenuem eſſe, ac ſeroſam, unde ad incraſſantia recurrunt; notabilis quidem impoſtura non advertentium cruentam illam ſeroſitatem tranſudare non poſſe, niſi quando venarum diameter majorem patitur extenſionem, cujus cauſà tunicarum poriſitates per vim aperiuntur, alioquin ſine hac violentià nec gutta quidem exiliret; talis autem maxima extenſio non aliundè contingere poteſt, niſi à ſanguinis craſſitie, qui quanto eſt craſſior, tanto majorem acquirit elaterem, & uſque ad turgentiam expanditur, tum etiam in vaſis minimis præ ſuà craſſitie ſtagnare poteſt, unde circuli remora, & venarum adjacentium extenſio.

Non minus pernicioſus error ille eſt, Emophtoicos ad maritimum aerem ſtatim tranſmittendi ex malè perceptà Galeni authoritate, & conſilio, qui Phtiſicos Neapolim mittebat; duplici tamen ęquivocatione ab ejuſdem methodo, ac doctrinà recedunt, quarum prima eſt confundere Phtiſicos cum Emopthiſicis, quorum ſanguis, non ſine pulmonum phlogoſi ſolet erumpere, iiſque propterea fri-

frigidus aer, non ſalſuginoſus, aut ſulphureus juvare poteſt; ſecunda æquivocatio eſt non advertere, quod Galenus, non ad quemlibet aerem maritimum Phtyſicos tranſmittebat, ſed ad Tabias, inter Neapolim, & Surrientum, collem nempè tenuis aeris, ob ſitum eminentem, & exſiccantis ob halitus Veſuvii ſulphureos; hi verò boni Medici, cum non omnibus ire Neapolim ſit commodum, Ægrotos ad Hoſtiam, Neptunum, Centum cellas, loca peſſimi aeris, & paludoſi condemnant ubi celerius in præceps ruunt; melius quidem Galeni methodum intellexit Foreſtus (l) montanum aerem Phtyſicis proponens. *Siccitas enim juvat hunc morbum, montana propterea laudantur, contra paludes, ac plana damnantur.*

ANIMADVERSIO XI.

De Phtyſi.

SI igitur, (erroribus Emophtyſis addere libet phtyſis errorem, qui modò in mentem, venit) Si igitur juvat Phtyſico ſiccitas, aer ſulphureus, & montanus, qua rogo ratione, communiſſima Praxis lac Phtyſicis perpetuò præſcribit, eo ſpecioſo dictamine quod Medicorum per ora luxuriat. *Serosà parte abſtergit, caſeosà nutrit, butiraceà humectat.* Quaſi in Stomaco Ægrotantium aliquod eſſet Diribitorium, in quo ſegregatis lactis partibus, ſerum ad pulmonis ulcera abſtergenda dimit-

(l) *Lib.* 16. *obſver.* 53.

mitteretur, butiro illuc accedere ad humectandum prohiberetur. Ulcera exſiccatione curari docuit Hippocrates, (m) & chyrurgica praxis, quodnam ergo beneficium ab uſu lactis ſperari poteſt, immò quodnam damnum timeri non poteſt in ulceribus pulmonum? Dicet aliquis, febribus hecticis lac eſſe optimum; at quænam febris hectica in Pthiſico unquam obſervatur, quæ putridæ non ſit conjuncta? &, ſi hæc hectica à pulmonis ulcere dependet, quomodo, productum extinguetur adaucto producente? non ne plenæ ſunt hiſtoriæ Medicæ apud Arceum, Marcellum Donatum, Ingraſſiam, Fracaſtorium; Eraſtum, Zacutum, Phtyſicorum, qui ligni Sancti decocto convaluerunt? nonnè laudat Santali citrini decoctum Rodericus Fonſeca? non ne illud ſantalorum omnium Petrus Salius? non illos curat, Mortonus Salſæ decocto cum calcis vivæ extinctione? & bona fide teſtari poſſum me duos Pthyſicos, hoc eodem decocto, ſanitati reſtituiſſe. Si ergo juvant decocta exſiccantia, quomodo lac juvare poterit, aut non nocere?

At, aliquis inſtabit, ſunt etiam aliæ Pthyſicorum hiſtoriæ uſu lactis ſanatorum, & celebris eſt illa Pthyſici apud Platerum, qui muliebri lacte ſanatus tantum reaſſumpſit vigoris, ut ne lac illi impoſterum deficeret Nutricem ipſam impregnaverit.

Reſpondeo Pthyſis morbum unum eſſe, nempe ulcus pulmonum, gradus autem ac diſpoſitiones in fieri multiplices, diverſæque indolis, nec ſupine

(m) *De ulcerib.*

pinè dormiendum ſuper illam Aretei (n) ſententiam. *Siquis, vel Plebejus hominem viderit pallentem, tuſſientem, febricitantem, macie confectum, hunc vera phtoe laborare pronunciat*. Rectè inquit *Plebejus*, Medicus enim non Plebejus veram pthyſim à non verà diſtinguere ſatagit, ac diſtinguere, quando lac conveniat, quando decoctum.

Si igitur aliquem videritis febre lentà, & emaciatione confectum, tuſſi ſiccà, ac ſpirandi difficultate laborantem, aut ex coalitu pulmonis ad coſtas, aut ex tuberculis in ipſis pulmonibus, hunc cum Areteo communiter Pthyſicum exiſtimabitis; at ego talem eſſe in fieri, non in facto eſſe contendam; nondum enim ulcus factum eſt in pulmonibus, & huic procul dubiò lac eſt conveniens, non autem decoctum exſiccans; de his loquens Galenus (o) in Methodo. *Porrò*, inquit, *ii ſunt qui maximè lac requirunt, neglectoque eo omnium maximè ſunt inſanabiles*.

Eſt inſuper Phtyſis quædam ſpuria, quam vocant Fracaſtorii, (p) eo quod ille deſcribat. *Non ex verò ulcere, nec verà ſanie, ſed magis in ſaniem quandam converſis pituitis, quæ illuc deſcendere*. Sed ante Fracaſtorum ab Hippocrate deſcriptam invenio libro de glandulis. *Aliis autem ſi per palatum in guttur multa fluxio contingat, ut plurimum morbi tabis oriuntur, replentur enim pulmones pituità, atque ea ïpſa pus ſit, quod pulmones exædit, & Ægroti non facilè ſuperſtites manent*;

 huic

(n) *Lib.* 1. *cap.* 8. *de diuturnis*.
(o) 5. *meth. cap.* 14. (p) *Lib.* 2. *cap.* 9.

huic phtyſis ſpeciei non pręcedit ſputum cruentum, ipſique Decoctum eſt opportunum, lac verò eſſet venenum.

Sed multò magis erit venenum verè phtyſi ex ulcere pulmonum, quam febris putrida cum hecticà concomitatur, ex hac neminem evadere exiſtimo, illa enim fluidorum ſalſedo, & acrimonia, quæ ad pulmones propagata eroſionem inflixit, eadem jugiter conſervat, & auget, totque illas hiſtorias de Ph yſicis ligno ſancto ſanatis ſpuriam Fracaſtorii fuiſſe puto; vidi quidem nonnullos, rupto in pulmonibus abſceſſu, convaluiſſe, in iis enim fluidorum vitium erat in partem per modum decubitus, aut metaſtaſis totaliter exoneratum, unde expurgato pure, nec alià illuc affluente materià ulcus potuit abſtergi, & conſolidari, eo modo propemodùm, quo ulcus ruptæ pleuritidis quotidiè videmus cicatrizari.

ANIMADVERSIO XII.

De Lienterià, & affectione cęliacà.

IN Lienterià cibus non permutatus per ſeceſſum reſtituitur, in paſſione cęliacà chiloſa materies excernitur; atque hæ duæ affectiones communiter differre creduntur, duntaxat ſecundũ magis, & minus, quod an ſit verum ex cauſarũ examine patebit.

(q) Galenus, & (r) Paulus Ægineta aliam dicta-

rum

(q) 6. *Aphor. Comm.* 1. & 6. *de loc. aff. cap.* 2.
(r) *Lib.* 3. *cap.* 40.

rum cauſam haud noverunt, quam Ventriculi languidam facultatem, in quo ambo à veritate aberrarunt, chilus enim non in ventriculo, ſed in inteſtinis tenuibus elaboratur, nec aliud ad Ventriculum pertinet, quam cibi macerationem facere, quæ dicitur chimus; cum itaquè in lienterià cibus maceratus reddatur, conſequens eſt ipſum bene opus ſuum abſolviſſe, & culpam eſſe inteſtinorum, quæ chimum in chilum convertere defecerunt; in cęliacà verò paſſione, inteſtinorum languor falsò accuſatur; cum enim chilus eiiciatur credere illa neceſſe eſt ſuam coctionem perfeciſſe; quænam autem ſit cauſa, qua chilus elaboratus non in vaſa lactea ingrediatur, ſed ad viam ſeceſſus deſcendat, hoc opus, hic labor eſt, & inquirere expedit.

Duæ ſunt verę cauſę quę materias chiloſas ad ſeceſſum impellant, unam refert Fernelius, (s) alteram Aetius; (t) ex Fernelio obſtructio eſt venarum meſeraicarum (melius dicamus lactearum) obſtrepat quantum velit Zacutus, qui contra Fernelium aliam non affert rationem, quam, hanc doctrinam non concordare cum Galeni doctrinà; at magiſtra experientia hujus ſententiæ veritatem frequenter demonſtravit, præſertim in Pueris; in Adultis verò ingenuè teſtari poſſum, nunquam me chiloſas diarrhęas ex ventriculi, aut inteſtinorum debilitate vidiſſe,

Altera Aetii Cauſa fit ob irritationem ab humoribus

(s) *Lib. 6. pathol. cap.* 10.
(t) *Tetrabil. 7. ſerm.* 1. *cap.* 37.

ribus mordacibus. *Ego vero* (ſunt ejus verba) *Ad Cęliacos, priuſquam vires extremè deficiant, purgatione humoris contenti utor; aliquando autem acres quidam, aut ſeroſi humores tuniculis ventris, aut magis inteſtinorum infarcti, aut imbibiti rodunt, & irritant, atque ex omni corpore humores ad locos circa ventrem, & inteſtina advocant, diuturnarumque fluxionum cauſa fiunt.* Atque hæc eſt ratio, cur interdum Diſenteria in Lienteriam ac Cęliacam degenerat, non ex Retentricis debilitate, ut credunt Galenici, ſed ob irritationem ab humoribus acribus ac diſentericis, qui periſtalticos inteſtinorum motus violenter augentes alimenta deorſum extrudunt, antequam inchoata ſit, vel completa chilificatio.

Extraneus tamen Lienteriæ caſus mihi olim adhuc Juveni occurrit in quodam hujus Aulæ Magnate Sexagenario, qui veſpere matutinum cibum, parum, aut nihil permutatum reddebat; conſueverat is ad ſtomacum vigorandum, aut alios ob fines, Vinum rubrum meracum, & generoſum jugiter bibere, pineos nucleos, piſtacia, & aromaticà condimenta comedere; crudas poſtmodum dejectiones advertens, Medico inconſulto ſtomacum roborare communi errore, proſequutus eſt, aromatum, vinique doſim adaugendo, quibus nihil proficiens, me tandem vocavit. Ego febricitantem inveniens, ſitientem, cum aridà linguà, ſcabrosà cute, & fuſco vultus rubore, mecum ipſe perpendi, hanc lienteriam ad nullam ex prædictis cauſis, aut ſpeciebus reduci poſſe; non quidem

ad

ad vaſorum lacteorum obſtructionem, nam dejectio chiloſa fuiſſet, non lienterica, non ad irritationem, quia dejectiones non uſque ad veſperam tardaviſſent, ſed paulò poſt prandium de more comparuiſſent, nec Galeni ſententia de ſtomaci languore, aut frigiditate locum habere poterat, contrarium enim oſtendit ſanatio; Cogitare itaque cæpi, ex humidi ſalivaris, & pancreatici penuriâ, coctionem illam celebrari non potuiſſe, quæ fit elixando, non aſſando, hinc cruda, & ſemicontrita alimenta, præ inteſtinorum ariditate, nec in chilum converti, nec niſi tardè deſcendere poterant; hac ideà Aquæ Nuceræ Oenophorum unum, cum ſale prunellæ præſcripſi, ſingulo mane ſumendum; hoc intelligens quidam Medicaſter Ægroti ſubditus, qui licet me Senior, non erat Dominis in æſtimatione, nec ultra Muros Anticameræ greſſum habebat, ubique ſtrepere cæpit, & clamare apud Conſanguineos, Nobilem Ægrotum, phantaſticà Juvenis curatione peſſum ire, qui ſtomachum Senis effoectum, & calore deſtitutum, tot aquis obruere non verebatur; hinc moti Conſanguinei Uxorem ſuaſerunt, conſultationem intimare, cui mihi cuncta narranti reſpondi promptum me eſſe, illique promiſi riſuram eſſe, ſi conſultationi interveniret; facta fuit Conſultatio cum interventu trium Medicorum ex Primariis, omniumque ferè Conſanguineorum, nec non illius Medicaſtri, qui retrò Conſultantium ſedes ſui Zeli fructus anxius expectabat; tunc ego, meo ſiſtemate evidenter probato, concluſi, unum

aquæ

aquæ Oenophorum paucum eſſe, duos impoſterum propinandos exiſtimans, & duos ſingulo mane, unanimiter decreverunt, non ſine magnà illius confuſione, qui poſtmodum in Aulicorum deriſiones incurrit, tunc præſertim, cum aquæ virtute Dominum integræ ſanitati reſtitutum viderunt.

ANIMADVERSIO XIII.

De Dyſenterià.

MAgnà quidem audacià in Dyſenteriæ curatione medicamenta purgantia ab omnibus Practicis Modernis præſcribi videntur, methodo omninò contrarià veterum Præceptorum doctrinæ, Hippocrates in libro de Affectionibus, (u) ubi morbi hujus curationem extendit, purgationem vult fieri per vomitum, non per ſeceſſum, Galenus (x) in ejuſdem curatione nec mentionem quidem facit purgantis, immò in Methodo (y) expreſsè prohibet. *Siquidem longiſſimè à tentatà fluxione parte, quod redundat revellere, nequaquam ad eam trahere convenit; hac itaque ratione, nec ſi ventriculum, aut inteſtina phlegmone occupare jam cæperit, medicamine, quod alvum deiiciat, uti conveniet.* Quid plura? Trallianus (z) & Aetius (a) à lacte cocto curationem ordiuntur.

Cor-

(u) *De affect. ſec.* 1.
(x) *De compoſ. medic. ſec. loc.*
(y) 13. *Meth. cap.* 11.
(z) *Lib.* 8. *cap.* 8. (a) *Serm.* 9. *cap.* 45.

(b) Cornelius Celſus, & (c) Paulus Ægineta medicamentis adſtringentibus, nec eorum ullus purgantium meminit; Avicennas (d) non ſine metu mirobolanos proponit. *Et ſi fuerit neceſſaria vacuatio, propter humoris malitiam utere eà cum timore, & cautelà, & ſtude, ne ſolutivum vehementer noceat veſtigio, & ulceri, immò ſit, ſicut Mirobolanus, & rectifica ipſum cum eo, quod miſcetur ei, ex eis quæ ſunt ſicut Dragagantum, & ſimilia.* Si talis ergo Avicennæ timor eſt, ut neque mirabolanos refrigerantes, & magis aſtringentes, quam ſolutivos exhibere audeat, niſi gummi vaginatos, quomodò audet Sennertus Syrupum roſ. ſol. præſcribere, Mercatus, & Mercurialis Diacatholicon, & Agaricum, Gattinara electuaria ſcammoneata Succi roſarum, & Diaprunis ſolutivi, atque omnes plenà voce rhabarbarum?

Sed, inſtabit Aliquis, Antiquis etiam morem fuiſſe, Rhabarbaro uti in Dyſenterià; Galenus (e) enim non uno in loco illud proponit, & Dioſcorides (f) pariter illud commendat. Reſpondeo, notabilem hic adeſſe æquivocationem; Rhabarbarum enim, quo nos utimur longè differt ab illo Antiquorum, ut ex ſignis clarè eluceſcit. Dioſcorides (g) ità illud deſcribit. *Radix nigra Centaurio magno ſimilis, ſed minor, & rufior, fungoſa, aliquan-*

(b) *Lib.* 4. *cap.* 15. (c) *Lib.* 3. *cap.* 42.
(d) *Lib.* 3. *fæn.* 16. *tract.* 2. *cap.* 7.
(e) *Lib.* 8. *Simpl.*
(f) *Lib.* 9. *compoſ. medic. local.* (g) *Lib.* 3. *cap.* 2.

quantum levis , *ſine odore* . Author libri de Simplicibus inter ſpuriòs Galeni connumerati . *Radix* (inquit) *aliqualiter vaſta* , *&* *nigricans* , *fragilis*, *leviſſima &c. vires autem habet efficaciter adſtringentes* . Plinius (h) qui vocat illud Raucoma. *Radix* (ait) *Coſto nigro ſimilis* , *ſine odore calfaciens guſtu* , *& adſtringens* , illudque ſanguinis ſputo, ac dyſenteriis juvare ſcribit. Galenus in Simplicibus (i) . *Aereæ cujuſdam ſubſtantiæ ſubtilis eſt particeps* , *quod indicat tum laxitas* , *tum levitas* . Nulla ex dictis conditionibus noſtro Rhabarbaro accommodatur,quod non eſt nigrum, non fungoſum , non leve , immò grave , ut à Meſue bonum requiritur, non eſt ſine odore , immò valdè odoratum , non fragile , immò durum, non adſtringens, immò purgans , quam virtutem nemo ex Antiquis Rhabarbaro tribuit , ſed Dioſcorides , Galenus , Plinius , Avicennas , Aetius , omnes una voce adſtringentem denunciant, eoque in ſputis ſanguineis , ac dyſenteriis utuntur, non ad purgandum, ſed ad aſtringendum ; Præterea Antiquorum Rhabarbarum , teſte Dioſcoride, ac Plinio in Regionibus aquilonaribus Boſfori , ac Ponti oriebatur, noſtrum autem è Regionibus meridionalibus advehitur .

Hippocrates in Epidemiis (l) Leambii dyſenterici narrat hiſtoriam , cui ex purgante medicamento, non modò Inteſtinum ulceroſum evaſit, ſed

hume-

(h) *Plin. lib.*27.
(i) *Lib.*8. *Simplicib.*
(l) 4. *Epidem. text.*96.

humerus, & ſedes exulcerata ſunt, additque Valleſius in Commento. *Significat ergo obiter, quam ſit temerarium expurgante medicamento curare dyſenteriam, cum enim ad ipſa exulcerari cœpta inteſtina excrementa mordacia trahantur, apertum periculum eſt, ne manifeſtè exulcerentur.*

An non ergò, inſtabit aliquis, caſus unquam continget, in quo poſſit, ac debeat Dyſentericis purgans medicamentum preſcribi? huic quæſito melius reſpondere nequeo, quam ejuſdem Valleſii diſtinctione. *Aut* (inquit) *in Dyſenterico eſt cum cacochimià magnà exulceratio nondum magna, aut cum exulceratione magnà cacochimia exigua, aut utraque exigua, aut utraq; magna; ſi primum expurgari debet, ſi ſecundum minimè, ſed ad urinam, & ſudorem, & vomitum vocandum, & inſtandum localibus interius, & exterius pro ulcere curaudo; ſi tertium, ne tunc quidem opus eſt purgatione, neq; localibus admodum, ſed bono victu, & facili ad alias vacuatianes derivatione; ſi quartum, inſanabilis eſt, facies, aut nihil, aut omnia, tentandi gratià, velut in re deſperatà.* Huic doctrinæ brevem facere parafraſim non diſpliceat.

Si magna eſt cacochimia, & parva exulceratio, leve aliquod medicamentum ſolvens in principio non erit ab re, ut magnus ille minuatur apparatus, qui temporis proceſſu exulcerationem adaugeret; tale eſſet ſerum caprillum, aut vaccinum cum ſyrupo violaceo; vel caſſia cum infuſione violarum, vel, ut placet Alexandro Tralliano Lactis hauſtus copioſus.

Si magna eſt exulceratio, & parva cacochimia nullum purgans niſi per vomitum eſt exhibendum, ut ipſe docet Hippocrates ſupracitato libro de affectionibus, ne humores ad partem læſam impellantur, & celeberrima hodie eſt tum Londini, tum Romæ, quædam radix dicta Ipecacuana, de qua ſcribit Guliermus Piſo, quæ vomitum provocans dyſenterias contumaces mirè, tanquam ſpecificum abſolvit, quod ego ſemel obſervavi in Patritio Romano.

Si utraque parva eſt purgantibus illas agitare non eſt opus, ſed optimæ victus rationi commendanda curatio.

At ſi ambæ ſunt magnæ morbus eſt inſanabilis; quarè, aut nihil, aut omnia tentabis, tanquam in re deſperatà, nam, ut idem addit Valleſius. *Tales curationes aliquando profuerunt*, *neque mihi ſemper diſplicet illud Celſi. Sæpè quod ratio non juvat temeritas adjuvat*. Atque hac intentione Hippocratem propoſuiſſe puto Elaterium in Epidemiis. *A ventris turbatione*, *aut tuſſi fiente cancro os amareſcit*, *dare autem bibere elaterium bis*, *aut ter*. Dyſenterià ab atrabile, quam Hippocrates, in Aphoriſmis lethalem vocavit, addit Valleſius in Commentario hanc eſſe inteſtinorum cancrum exulceratum.

ANI-

ANIMADVERSIO XIV.

De Eryſipelate.

MIrari ſatis non poſſum communem ferè Medicorum praxim in eryſipelate, perpetuò ſanguinem extrahendi, evidens non advertendo periculum illius retroceſſionis, cum non ſit major ratio ſanguinem prohibendi in variolis jam apparentibus, quam in eryſipelate, docuit enim Hippocrates. (m) *Eryſipelas foris quidem accedere commodum eſt, intrò autem converti lethale*; notandus etiam eſt alter ejuſdem textus de Anginà loquentis. (n) *Quibus verò fauces, & cervix ſimul rubuerint, hæ Anginæ diuturniores ſunt, & ex ipſis maximè evadunt, ſi & cervix, & pectus in ruborem habuerit, & Eryſipelas ignis ſacri non intrò recurrerit.* Si igitur, quo magis Eryſipelas ad extra pellitur, eo minus remanet periculum inflammationis internæ, cur volumus illud phlebotomià retrahere, ut in viſcus aliquod internum exoneretur?

Infortunium hoc accidit in terminis in altiſſimà hujus Aulæ Heroinà, cujus Eryſipelas in capite apparens, miſſo ſanguine, ad pulmones retroceſſit, ex quorum inflammatione occubuit. Ego ſanè non ſemel, aut bis Eryſipelatum in capite curationem inii, adeo deformium, & monſtroſorum, ut caput in duplicem penè molem excreverit;

(m) *Coac. prænot. ſec.* 2. (n) *Prænot.*

rit; nulli ſanguinem tetigi, omnes convaluerunt; è contra obiter olim ductus ad Monialem Eryſipelate in crure laborantem, cui ſanguinem ejus Medicus imperaverat, cavere monui ab hoc remedio, cujus vi Eryſipelas retrò tractum in viſcus aliquod internum eſſet ruiturum; Suaſa Monialis, triduò, vel quatriduò phlebotomiæ repugnavit, ſed à Medici pervicacià vim patiens, quando nemo aderat, qui vanis illius dicteriis reſponderet, phlebotomiæ pavida ſuccubuit, qua peractà Eryſipelas illicò evanuit, maximà ſuperveniente ſpirandi difficultate, quæ illam pluribus noctibus ſedere in lecto coegit donec ſorte propitià, novum in brachio apparuit Eryſipelas, quod illam ab Ortophneà liberavit.

Rationi, & experientiæ Galeni (o) authoritas addatur, qui in hujus morbi curatione nunquam, & nuſquã ſanguinis mentionem facit, niſi ad excludendum, aſſerens tantum, quod extinctà inflammatione, ſi aliquis in parte livor ſit reſiduus licet illam ſacrificare. *Non tamen* (ſubdit) *ex venà in talibus ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſed ventrem tantummodò expurgare ſufficit; dandum autem medicamen, quod bilem flavam educat.* Et in Methodo ſimiliter; *ſed, pro ſanguinis miſſione, medidicamento, quod bilem trahat, purgantes.*

Fateor tamen caſum contingere poſſe, in quo ars ſit recedere ab arte, cum videlicet, eryſipelate jam progrediente, & ſeſe, ut moris eſt, expandente febris tamen, eaque vehemens adhuc perſevera-

(o) *Lib. 2. ad Glauc. cap. 2.*

ret, ſive etiam capitis dolor, ſpirandi difficultas, aut alia ejuſmodi gravia ſymptomata, tunc enim non modo in eryſipelate phlebotomiam expedit celebrare, ſed, & in ipſis variolis, ut infrà docebimus.

ANIMADVERSIO XV.

De Scabie.

NOn diſſiimilis error ille eſt in ſcabie, aliiſve morbis cutaneis ſanguinem perpetuò mittere, abſque ullà diſtinctione temperamenti, humorum qualitatis, ac temporis; Hippocrates libro de Affectionibus, (p) hujuſmodi morborũ curationem deſcribens, purgantia proponit, de ſanginis miſſione nec verbum faciens, immò ait. *Lepra, & pruritus, & ſcabies, & impetigines, & vitiligo à pituità fiunt.* Hoc eſt, ab humoribus crudis, & excrementitiis; pernicioſor evadit error, ſi ſcabies jam ſuppuratur, aut eſt ſuppurata; tunc enim, vel ſuppuratio impeditur, vel in venas revocantur humores pravi à ſanguine jam ſegregati.

Hujus rei funeſtum exemplum in Religioſo Dominicano, mihi, non multis ab hinc annis, occurrit, cui cum Medicus ſanguinem miſiſſet, ſcabie jam ſuppurari incipiente, paulatim illa evanuit, & in pulmones retroceſſit, ubi cum febre, & ſpirandi difficultate vomicam produxit, quæ ruptionis in actu Ægrotum ſuffocavit. Haud equidem

(p) *num.* 35.

dem controverto, in temperamẽto plethorico, cum venis turgidis, & in principio, ſanguinis miſſionem utilem eſſe, tunc enim Galeni (q) ſententiæ ſit locus *Exonerat à Naturà eo, quo velut ſarcinà præmitur, haud ægrè quod reliquum eſt vincet.* Alioquin neminem latet quanto periculo ſit plena, ſcabies retrocedens, & quod malum intempeſtiva ſanguinis miſſio in variolis peragere ſolet, poteſt etiam in ſcabie, & in alio quocunque morbo cutaneo; immò ſi ſcabies, non à principiis internis, ſed ab extrinſeco per contagium advenerit, nec in principio ſanguinis miſſio, aut purgatio locum habet, ut rectè etiam adnotavit Helmontius (r) ne contagium ab externis ad interna trahatur, ſed illicò ad unctiones recurrendum, antequam miaſma cutaneum cruori communicetur.

ANIMADVERSIO XVI.

De Variolis.

METhodus communis in variolis eſt, primà, vel ſecundà febris die, ante eruptionem, ſanguinem extrahere; regula quidem ſępiſſimè fallax, & erronea; cum enim variolæ nil aliud ſint, quam critica ſanguinis deſpumatio, quæ per ebullitionem febrilem fieri debet, eo modo propemodum, quo, per igneam ebullitionem mel, aut caro deſpumari ſolet, intempeſtivà ſanguinis detractione febrilis fervor extinguitur, ac deſpuma-

ma-

(q) *in Meth. cap. 5.*
(r) *Scabies, & ulc. ſcholar.*

matio non completur, ut, ollà ab igne recedente, minuitur fervor, & deſpumatio. Ego ſanè adeo neceſſarium exiſtimo febris vehementis beneficium, ut doleam, ſi mediocrem inveniam, & in variolarum influentiis epidemicis, nulli penè ſanguinem mittens omnes vidi ſervatos; hujus etiam ſententiæ fuere Trincavellius, Sennertus, & Franciſcus Martianus.

Idem Martianus variolarum eruptionem criticam à ſymptomaticà, & malignà diſtinguens, malignæ certum indicium eſſe ait apparitionem in die pari, puæ ut plurimum ſecundà die contingit. *Quo ſigno confiſus* (addit ille) (s) *morbi pravitatem ſtatim pronuncio, ubi eorum apparitionem conſpicio die ſecundà*, & paulò infra. *Licet multi Ægrotantium ſectà venà ſerventur, ii nempè, quibus eruptio critica eſt, naturà ipſà errorem Medici corrigente, aut negligente, experientia tamen demonſtrat, admodum paucos ex ſymptomaticis evadere, quibus ſecta fuerit vena.*

Non negaverim tamen, in temperamento valde plethorico, & in ætate non admodum infantili, cum febre vehementi, motibus convulſivis, hemorragià è naribus, difficultate ſpirandi, delirio, aliiſve ſymptomatibus turgentiam ſignificantibus utilem eſſe ſanguinis detractionem, variolis nondum apparentibus, immò, & caſus extra ordinem dari poteſt, ut etiam poſt apparitionem, ſi febris, graviaque ſymptomata non allevientur, ſit repetenda, & audiamus Avicennam.

(s) *Antiparalog. pag.* 40.

(t) *Sed quando procedunt Variolę, non oportet tunc, ut adminiſtretur phlebotomia, niſi inveniatur vehementia repletionis, & dominium materiei, tunc enim phlebotometur quantitate, quæ alleniet ſeu minoret.* In his tamen caſibus magnà Medici prudentià opus erit, alios pro ſuà indemnitate ad conſultationem vocando; tutiùs etiam fortaſſe erit cucurbitulis uti ſcariſicatis.

ANIMADVERSIO XVII.

De Cancro.

HIppocratis ille Aphoriſmus (u) *Cancros occultos habentes melius eſt non curare, curati enim citius pereunt.* Terruit adeo Medicos, ut nemo illorum curationem aggredi audeat, ſola curatione palliativà contenti, non ſine magno quamplurium præjudicio, qui generosè in principio curati ſanari potuiſſent; Hippocrates enim in illo Aphoriſmo loquitur de curatione chirurgicà, & locali, non de medicà, quod egregiè à Galeno (x) fuit animadverſum ad Glauconem ſcribente. *Hunc igitur morbum, ut diximus, in principio ſanavimus, & hinc præſertim, cum melancolicus humor non admodum craſſus videbatur exiſtere; nam hic purgantibus medicamentis, ex quibus ſanitas ſequitur promptè ſuccumbit;* in quorum confirma-

tio-

(t) *Lib.* 4. *Fen.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10.
(u) *Sec.*6. *Aphor.*38.
(x) 2. *ad Glauc. cap.* 10.

tionem addit in Aphoriſmis. (y) *Mulierem quandam, quæ cancroſum in mammà tumorem habebat, quot annis, vere ineunte vacuans ſanavi, ſubinde forti pharmaco melanagogo uſus, quam quidem purgationem, ſi quando prætermiſerat dolor illi profundus ſentiebatur, atque ità illicò accerſitum me purgare ſe jubebat*. Notentur verba illa; *forti pharmaco*; in ejuſmodi enim morbis atrabilaribus, minorativa, aut lentiva medicamenta, ut pote quæ movent ac non reſolvunt, noxia potius evadunt, ſed cathartica electivè purgantia requiruntur, quod optimè advertit, & exequutus eſt Riverius in Obſervationibus, (z) ubi Ægrum cancro laborantem, frequenti hellebori uſu, ad ſanitatem perduxit.

ANIMADVERSIO XVIII.

De Aneuryſmate.

ANeuryſma, ſecundum communem ſententiam, eſt arteriæ dilatatio, cum diſruptione tunicæ internæ, à causà, vel extrinſecà, vel intrinſecà; à causà extrinſecà, nempe vulnere, aut conatu violento, à causà intrinſecà, quam ſtatuunt impetum ſanguinis fervidi, & copioſi. Omitto factum à causà extrinſecà, cujus curatio pertinet ad Chyrurgum, non ad Medicum, & ad alterius conſiderationem, devenio ex causà intrin-

(y) *Sec.* 6. *Aphor.* 47.
(z) *Centur.* 1. *obſerv.* 117.

ſecà cujus ſyſtema aſſignatum erroneum videtur eſſe, tum in ordine ad cauſam. tum in ordine ad effectum, & per conſequens etiam in methodo curationis communis.

Erroneum in ordine ad cauſam, ſanguinis nempè impetum, & copiam; ſuppoſitio ortum ducens ex falſo quodam Harvæi principio, hominis alioquin præclariſſimi, ac de medicà facultate benemeriti, motum arteriarum non eſſe facultativum, ſed ſimpliciter paſſivum ab ingreſſu ſanguinis à corde impulſi; ſatis autem ſuperque in meo tractatu de pulſibus vobis demonſtravi, non modo cum Galeno, Bartolino, & Valleo, ſed aliis mechanicis, & experimentalibus rationibus, motum earum facultativum eſſe, & animalem, ut illum cordis, & in aneuryſmate in motum convulſiuum degenerare.

Erroneum etiam in ordine ad effectum à Bartolino æſtimatur, ſupponendo cum Fabritio Hildano, in omni aneuryſmate ruptam eſſe tunicam internam, ac dilatatam externam, quam doctrinam ita Bartolinus (a) impugnat. *Dilatationem, vel membranæ utriuſque, vel exterioris tantùm apud Authores noſtros deprehendi; illam noverunt Antiqui, hujus primus inventor Fabricius Hildanus ruptà interiori membranà in exteriorem decumbere aneuryſma, ingeniosè magis finxit, quam verè. Enimverò quà facilitate ebulliens ſanguis interiorem tunicam denſam, duram, & craſſitiè inſignem rupit, eàdem certè, immò majori exteriorem,*

(a) *Hiſt. Aneuriſm.*

rem, venarum reticulo nihil fortiorem diffringet, ſicut in inflatis utribus facilius exterior pellicula rumpitur, quam interior, quia cum amplius diſtendatur continens, quam contentà, ſub eà proxime membranà reſiſtendo, ſine dubio nequaquam erit &c.

Bartolini rationi practicum experimentum addere poſſumus, quo, non raró vidimus aneuryſmate laborantes ultra viginti quinque, aut triginta annos ſupervixiſſe, & alio morbo tandem occubuiſſe, nec videtur poſſibile, ruptà primà tunicà densà, & durà, alteram ſubtilem tandiù reſiſtere potuiſſe; probabile ergo eſt, potiorem aneuryſmatum partem abſque ullius tunicæ rupturà ambas motus convulſivi impetu diſtendere, cujus tamen quæſtionis deciſionem anxiè expectamus à clariſſimo Jo: Maria Lanciſio SS. Dñi N. CLEMENTIS XI. Archiatro, anatomicis elucubrationibus incomparabili, in ſuo, quem mox editurus eſt libro, de motu cordis, & aneuryſmatibus.

Tandem (quod ad noſtram pertinet Methodum) ab erroneis præmiſſis conſequens reſultat error in medendo; cum etenim talis morbus, non à copià, ſed ab acrimonià ſanguinis, & fluidi nervei proveniat motum convulſivum provocantis, advertimus primò, ſanguinem diſcretè minuere in temperamento plethorico, & juvenili, ſicut laude dignum cenſemus, ita frequentes illas, ut moris eſt, ſanguinis detractiones, præſertim in temperamento melancolico, & gracili, non eſſe laudandas;

das; ſanguinis enim maſſam ſpirituoſo volatili nimis ſpoliando, ſales in fluorem diſſoluti majorem nanciſcuntur aciditatem, motuſque cnovulſivos aneuryſmati adaugent, ut nonnunquam obſervavimus.

Secundò. Lamina illa plumbea, qna ſolent arteriam comprimere, ſicut eſt neceſſaria in arterià vulneratà, ac diſruptà, ne ſanguis ſub cutem diffluens enchimoſim faciat, aut cancrenam, ita in arterià dilatatà noxia magis quam utilis, ut puto, cenſenda; externà enim arteriæ parte per laminam fortificatà, totus convulſivi motus impetus orbicularis in partem internam revolvitur, unde, impulſus momento duplicato, facilius ex eà parte diſrumpitur; arundo quæ ad ventum flectitur illius impetum deludit, Quercus quæ reſiſtit ſæpè radicitus evellitur.

Tertiò. Magiſtra experientia hanc veritatem firmavit, unicum atque efficax aneuryſmatis præſidium eſſe balneum aquæ dulcis ac cętera emollientia,qualia in motibus convulſivis adhibere ſolemus, clarum utique argumentum, talem etiam eſſe Aneuryſma, ſi enim illud ſanguinis copiam atque impetum in cauſam cognoſceret, prout balneum ſanguinem diſſolvens majorem illi communicat elaterem, unde nocet hemorragiis, ita, eàdem de cauſà illius adaugeret turgentiam atque impetum contra arteriam dilatatam.

ANI-

ANIMADVERSIO XIX.

De Paraliſi.

QUanquam Paraliſis morbus ſit de ſui naturà valdè curatu difficilis, difficilior adhuc redditur, præ humoris peccantis incertitudine; communiorem, & frequentiorem fieri ab humoribus frigidis, ac pituitoſis, omnes ſunt concordes; attamen non rarò fallitur Medicus in eà paraliſi cognoſcendà quæ ab Alexandro Tralliano (b) deſcribitur. *Novi ſanè ego quendam reſolutionem ex mœrore, multà ſolicitudine & inedià expertum, deinde ſumptà hierà adeo læſum, ut totus ipſe immobilis fieret, & propemodùm interiret, niſi in contrarium mutatus fuiſſet, & humectantibus omnibus, tum potionibus, tum cibis, & aliis, quæ temperatum ipſum reddidiſſent, uſus fuiſſet, maximè verò balneis quam pluribus, unctione ex hydreleo, mutatione aeris temperati, & omni hilaritate.* Paulus pariter Ægineta (c) colicæ bilioſæ mentionem facit, quæ in paraliſim degenerat, cui *Quæ roborandi vim obtinent, & modicè refrigerant multis præclarè opitulata ſunt.* Immò Fernelius (d) quaſdam febres intermittentes adnotavit, quæ circa finem interdum, bilem flavam in ſpinam dorſi ac nervorum originem deponunt paraliſim relinquentes.

Con-

(b) *Lib.* 1. *cap.* 16. (c) *Lib.* 3. *cap.* 18. & 43.
(d) *Lib.* 1. *de partic. morb.* & *ſympt. cap.* 3.

Controvertit Fernelio Rondeletius à bile, & melancolià paraliſim fieri poſſe, cum prædicti humores ad nervos exſiccandos, non emolliendos ſint apti, & per conſequens ad convulſionem potius quam reſolutionem cauſandam; poterat tamen Rondeletius (e) Galeni doctrinam in mentem revocare, paraliſim fieri poſſe ab obſtructione, compreſſione, & conſtipatione nervorum; à quarum neutrà nervi emolliuntur, immò potius dureſcunt, poterat in praxi obſervare, quod nos multoties obſervavimus, paraliſim convulſionibus ſuccedere, partemque convulſam ſimul, ac reſolutam remanere.

Ab hiſce doctrinis, & obſervationibus quid, pro noſtrà methodo eliciemus? aliquid luminis pro diſtinguendà in ipſo principio paraliſis causà, antequam ſtuphis, ac decoctis Ægrotum jugulemus.

Primo igitur loco Ægroti habitus, ac temperamentum obſervetur, ſi gracilis ille, calidum hoc, bilioſum, aut melancolicum.

Secundò. Quæ cauſæ morbum præceſſerint, errataque in diætà, ſi animi pathemata, irę, aut melancoliæ, ſi cibi calidi, aromatici, motuſque violenti.

Tertiò. Quiſnam alius morbus paraliſi præceſſerit, an dolor colicus, febris tertiana, affectio ſcorbutica, aut alius morbus ex calidà intemperie, juxta illud Hippocratis documentum ſuperiùs allatũ. *Occaſiones unde ęgrotare cęperit cõſiderandę*,

Quar-

(e) 1. *de ſympt. cauſ. cap.* 5.

Quartò denique, an Paraliſis convulſionem habeat concomitantem; hanc enim ſignum patognomonicum exiſtimo paraliſis bilioſę, melancolicæ, aut atrabilaris, refrigerantibus, & emollientibus curandæ, & præſertim balneis, ut docet Trallianus, & ego in praxi non ſemel fœliciter uſus ſum.

ANIMADVERSIO XX.

De Convulſione.

HIc, ubi de convulſionibus paraliſim concomitantibus loquuti ſumus, non erit ab re ſuper eaſdem in genere aliquid aliud animadvertere, rectam illas medendi methodum reſpiciens.

Mirabitur fortè aliquis, Hippocratem, (f) qui non uno in loco nos docuit. *Frigida oſſibus, nervis, & ſpinali medullæ inimica.* Suæ doctrinæ poſtmodum oblitum convulſiones alibi aquà frigidà curare. *Eſt autem,* ait ille, (g) *ubi in diſtenſione ſine ulceratione, juvene bene carnoſo, æſtate medià, frigidæ aquæ multa perfuſio calorem revocat, calor autem hæc ſolvit.* Item albi (h) *Aquam frigidam multam ſuperfundito, & poſtea veſtimenta tenuia pura, & calida ſuper integito, ignem autem tunc non adhibeto; hoc auxilium, & ad Tetanos, & Opiſtotonos adhibere oportet.*

Confirmat hanc doctrinam idem Hippocrates il-

(f) *Sec. 5. Aphor.* 18. *De humidor. uſu*
(g) *Sec. 5. Aphor.* 21. (h) *De morbis num.* 14.

illius Mulieris hiſtorià in Epidemiis, (i) qnæ ſana alioquin, & pinguis, *A Catapotio concipiendi gratià accepto, dolorem habebat ventris, & tormen in inteſtina, & intumuit &c. ſuperfuſę autem illi ſuper corpus ſunt aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta, & ſanè videbatur hoc ſolum prodeſſe.* Amphora erat menſura græca Cadi n oſtratis medietati reſpondens, juxta computum Quattrocchii (l) non autem duobus Cadis, ut computat Valleſius. (m)

Paulus Ægineta (n) tale remedii genus à Poſteris rejectum fuiſſe aſſerit, & ipſe etiam reiicit; at Valleſcus de Tarantà duos Ægrotos tetano laborantes, hoc remedio ſanaſſe teſtatur; ego verò, qui in arduis curationibus aliis timidior eſſe non ſoleo, duas à me peractas, eaſque notabiles enarrabo. Monialis quædam juvencula vehementibus motibus convulſivis agitabatur, genua ſimul valdè concutiens, & penitus aphona; vocatus ego, faſcià primum genua ſtringi curavi, indè, ex loquelæ defectu arguens nervos recurrentes, ſeu vocales convulſos eſſe, linteum quadruplicatum aquà frigidà madidum cervici applicari juſſi, ubi, dictos nervos parum eſſe profundos, teſtatur caſus ab Avicennà (o) narratus illius, qui ex profundà cucurbitulæ ſcarificatione in occipite, aphonus evaſit. Poſito primo linteo, nu-

(i) 5. *Epid. tex.* 41.
(l) *De ponderib. & menſuris*
(m) *In Comment.* (n) *Lib.* 3. *de re medica*
(o) *Lib.* 3. *Fen.* 6. *tract.* 1. *cap.* 12.

nutibus Ægrota indicabat, hoc illi juvare, quo pluries renovato ceſſarunt motus convulſivi, rediitque loquela.

Audacior, nec minus fortunata, alterius Mulieris puerperæ fuit curatio. Mulier hæc Bajuli uxor, biduò, vel triduò poſt partum doloribus acutiſſimis in regione pubis premebatur, puerperiis omninò evaneſcentibus; illac ego pertranſiens, Ægrotæ ſentii ululatus, & Viri vocem me deprecantis, ut aſcenderem; adfuerat paulò ante ejus Medicus, qui tripheræ magnæ bolum præſcripſerat, quo ſumpto dolores fuerunt adaucti; aderat ibi Obſtetrix, cui juſſi, ut quadruplicatum linteum aquà frigidâ, ut ſuprà, madidum regioni pubis imponeret; horreſcens veluti illa me intuebatur, nec exequi, nec contradicere audens, me tamen urgente, timida ad executionem ſe diſpoſuit; ad primum linteum clamores Ægrota coercuit, aitque ſe levamen ſentire; reiteratà poſt modum quater, aut quinquies, me præſente, operatione, abii, quietam omninò relinquens, ſed, quod majorem illis peperit admirationem, vix quinquaginta paſſibus me illinc elongaveram, cum rediere puerperia, quando alteri cui bene fluerent linteum frigidà madidum ſiſtere proculdubiò ſufficeret.

Ut hujuſmodi experimentorum rationem intelligatis, & proficua ſimul ad praxim ſit intelligentia in materià tam arduà, in qua nullum invenio Authorem, qui docuerit, quando, & ubi tale curationis genus expediat, opus eſt primo loco præmit-

mittere, quod duplici modo convulſio poteſt contingere (loquor hic de figurà, non de cauſis) altera eſt, quando nervi, aut muſculorum tendines contorquentur, & verſus ſuum principium retrahuntur alicujus punċturæ vi, extrinſecæ, vel intrinſecæ, & hæc ab Hippocrate vocatur Spaſmus, hinc Galenus, (p) licet duas tantum ab Hippocrate aſſignatas convulſionis cauſas admiſiſſet, inanitionem, & repletionem; (q) alibi tamen tertiam addidit cauſam, nempè nervoſarum partium vellicationem à re moleſtà immò ſi ſubtilius philoſopari velimus, convulſionem ab inanitione communiter dictam, non aliud eſſe comperiemus, quam vellicationem, ac punċturam; ſicut enim pellis in ignem projecta ſtatim contorqueri incipit non ob exſiccationem, quæ in inſtanti fieri nequit, ſed ob ignis particulas, in illius poroſitates, ingredientes, ita cum excedenti purgationi ſuccedunt convulſiones, id ex eo fieri putandum, vel quia cathartici qualitas deleteria pungit nervoſas partes, vel quia Ægroti ſales acres humido circurante ſpoliati, & in motum, ac fluorem violenter impulſi irruunt in nervos, & muſculos; atque hanc ſecundam cauſam locum habere etiam in illà exinanitione, quæ largam ſubſequitur hæmorragiam, inde convincitur, quod illi ſæpè febris ſupervenit, ut accidit Eudemo in Lariſsà à me alibi commemorato, cui poſt fluxum hæmorroidalem, (r) *Cum exanguis exiſteret*

(p) 6. *Aphor.* 39. (q) 5. *Aphor.* 1.
(r) 5. *Epidem.*

ret bilis commota eſt, & febris corripuit.

Secundus convulſionis modus tenſionis potiùs nomen, quàm convulſionis męretur, in eà enim nervus non torquetur, aut contrahitur ab acido pungente, immò intumeſcit, ac tenditur ab Alchali elaſtico, quod in ejus poroſitates incuneatur, unde quantum dimenſio in latum adaugetur, tantum dimenſio in longum decurtatur, eo modo propemodum quo fidium cordę udo, & auſtrino aeri expoſitæ ſæpe diſrumpuntur; & hęc ab Hippocrate vocatur tetanus, hoc eſt diſtenſio; rectè autem ab eodem hæ duę convulſionis ſpecies diſtinctæ fuere in eo textu de Humidorum uſu (s) *Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem indurat, dolorem facit &c. convulſiones, diſtenſiones.*

Hæc ergo ſecunda convulſionis ſpecies tenſiva, & flatuoſa eſt illa, cui aquæ frigidæ inſperſio juvare poteſt, cuique ipſemet Hippocrates præſcripſit, ut à textubus ſupra relatis clarè innoteſcit, in quibus, non ſpaſmum, aut convulſionem vocat, ſed tetanum, ac diſtenſionem, talemque fuiſſe non dubitandum illam mulieris in Epidemiis, quæ intumuit, ut ipſe narrat, ratio autem eſt, quia ſicut flatus caloris vi elevantur. (t) *Craſſa, & glutinoſa cum calefiunt flatuoſum ſpiritum gignere ſolent.* Aſſeruit Galenus, ita frigus eorum elaterem deprimere poteſt, quæ ſanè ratio magis congrua mihi videtur, quam allata ab Hippocrate in citato Aphoriſmo. *Frigidæ aquæ multa perfuſio calorem*

 re-

(r) 5. *Epid.* (s) *De humid. uſu in fine*
(t) 12. *Meth. cap.* 8.

revocat, calor autem hæc ſolvit. Sæpè enim obſervamus in ſpaſmo illo flautoſo, cruribus ac pedibus familiari, qui potius tetanus ac diſtenſio vocandus eſſet, (vulgo vocant *Grancio*, obſervamus inquam, quod poſito pede ſuper lateres frigidos ſtatim reſolvitur, abſque eo quod ſubitanea illa reſolutio tribui poſſit ideali huic antiperiſtaſi, & caloris augumento, quod nemo percepit: adde, quod triginta Amphoræ aquæ frigidæ potius aptæ ad extinguendum, quam ad uniendum calorem videbantur, &, ſi caloris vi tenſio illa erat reſolvenda, melius, ac tutius hoc peregiſſent triginta Amphoræ aquæ calidæ.

Receptiva canamus, circumſtantias, & conditiones ad trutinam expendendo, quæ animoſum hoc remedium permittere valent, vel prohibère.

Prima erit conditio, ut convulſio non ſit ſpaſmodica, ſed tenſiva, non ab acido vellicante, ſed ab Alchali flatuoſo, quod diſtinguemus conſiderantes, quod prima incipit ſemper, cum tremore, & motu convulſivo, ut in Epilepticis; ſecunda verò cum partis diſtenſione, quæ abſque motu convulſivo dureſcit, vel intumeſcit, ut plurimum cum dolore.

Huic circumſtantiæ refragari videtur Galeni textus in Commentario illius Aphoriſmi, ubi ait, hoc genus curationis juvare etiam cunctis aliis convulſionibus, quod etiam comprobari poſſet hiſtorià à me narratà Monialis aphonæ motibus convulſivis agitatæ. Huic inſtantiæ reſpondeo primò, Moniali aphonæ frigidam, non genibus agitatis,

ſed

ſed cervicis nervis tenſis, ac rigidis; me impoſuiſſe. Secundò ad Galeni textum, fortaſſe illum falsò id crediđiſſe, & fortaſſe etiam motibus convulſivis non nihil prodeſſe poſſe, quando in his conditio ſequens verificetur, nimirum.

Secunda conditio eſt, ut flatus ſint à causà calidà, & biliosà, non frigidà, & pituitosà; tetanos enim, ac diſtenſiones fieri etiam à causà frigida rectè adnotavit idem Hippocrates (u) libro de morbis ſupra citato, ubi antequam frigidæ aquæ curationem proponat, tetanum curat numero antecedenti; *catapotiis ex pipere, calefactoris humidis, & pinguibus ad partes dolentes, & calido oleo multo*. Calidam autem intemperiem arguere poteris ab Ægroti temperamento, erratis antecedentibus, dolore acutiſſimo, febre concomitante, ſiti intenſa, bilioſa excretione, aliiſque ſymptomatibus; hinc Colicę bilioſæ, quæ ſanè inteſtinalis tetanus vocari poſſet, largus aquæ frigidæ potus mirabile, ac ſubitaneum eſt medicamentum, ut Amato Luſitano (x) ſemel, mihi centies curationem abſolvere contigit ad inſtar incantamenti.

Nec prætereunda hoc loco eſt Uxoris Gorgiæ in Lariſsà Puerperæ hiſtoria, cui febricitanti (y) *facies fortiter intumeſcebat, itemque tibiæ ac pedes ambo, & alterum fœmur, ſitim autem habebat vehementem, & frigidiſſima aqua conferebat*.

Tertia conditio, ut puto valde neceſſaria, eſt, ut convulſio ſit recens, non inveterata juxta illud

 Hip-

(u) *De Morb. num.* 13. (x) *Centur.* 1. *cur.* 2.
(y) 5. *Epidem num.* 5.

Hippocratis (z) in Cranone: *Veteres dolores frigidi, recentes calidi*; vaſa enim ſanguifera diuturnà tenſione anguſtiam patientia muſculorum in ſpatia humorum craſſamenta deponunt, ac remorantur, quæ frigidæ uſu magis ſtagnarent, qua de re balnea calida, & reſolventia, præſertim ex aquis ſulphureis in hoc caſu magis laudantur.

Tres alias conditiones ex Hippocrate habemus in citato Aphoriſmo, ideſt, quod tenſio ſit fine exulceratione, in Juvene carnoſo, & ætate medià. Primam admitto, & ſequentes etiam, ſi aqua ad Amphoras affatim eſt aſpergenda, ut ipſe fecit vel ad modum Ducciæ, at ſolo linteo madido pluries ego ſum uſus etiam apud Graciles, Seniores, & hiemali tempore, in dolorbus acutiſſimis, qui dilationem non patiuntur.

Sed, ut omnis tollatur dubietas trepidantibus, optima erit cautela, calido, & anodino fomento primum explorare, à quo, ſi nullum reſultet levamen, immò potius dolòr, ac tenſio exaſperari ſentiatur, tutò ad frigidam aquam progredi licebit, Antonii Muſæ apud Suetonium exemplo, in Auguſti Cæſaris (a) ęgritudine. *Quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus.*

ANI-

(z) 6. *Epid. ſec.* 1.
(a) *Auguſti vita*

ANIMADVERSIO XXII.

Quædam circa Mulieres.

QUoniam ex utero Mulierum ſymptomata excitari ſolent illis acutarum, & malignarum febrium non diſſimilia, poſſunt hæc in Muliere febricitante nobis imponere, ut illa febris ſymptomata credamus, quando ſint ex utero, vel è contra cum ſint à febre, uteri fiducià negligamus; talia ſunt convulſivi motus, anhelitus difficultas, pulſus intermittentia, delirium, extremorum frigiditas.

Ut igitur dictorum ſymptomatum naturam diſtinguamus, & funeſtam prognoſim non præcipitemus, illas exponam circumſtantias, quæ diuturnis obſervationibus lumen mihi præbuerunt.

Primo loco inquirere opus eſt, an aliquod ex dictis ſymptomatibus febrem præceſſerit, in quo caſu febris ſymptoma eſſe nequit; an Mulier hyſtericis affectionibus erat obnoxia, an aliqua præceſſerit extrinſeca cauſa odorum, animi pathematum, iræ, amoris, zelotipiæ &c.

Secundò fiat obſervatio, an febris regulari typo incedat tum in periodo, tum in paroxiſmo, ut febrium eſſentialium moris eſt, an potius motu aggrediatur irregulari, abſque periodorum correſpondentià, diverſis horis eundo, & redeundo, more febrium ſymptomaticarum.

Tertiò, Febre etiam regulari exiſtente, ſi ejuſ-

dem

dem ſunt prædicta ſymptomata, quo magis febris augetur, augentur, & ipſa ſymptomata, ſi verò ſint hyſterica, in febris augumento ſymptomata potius minuentur, à calore febrili attenuatis, ac reſolutis uteri halituoſis fermentis: atque eadem æquivocatio contingere poteſt apud Hippocondriacos, quorum ſymptomata hyſtericis ſunt apprimè ſimilia.

In menſtruorum defectu, aut diminutione, non ſemel vidi Medicos parum ſolertes currere indifferenter ad chalybeata, & rhabarbarata, aliaque hujus cenſus medicamenta dicta aperientia, aut deobſtruentia, non diſtinguentes defectum ex vitio fluidi lenteſcentis, & à vaſorum ſtrangulatione: lenteſcit fluidum, & incraſſatur ab erratis in cibis paſtæ, leguminum, caſei &c vel ab exceſſu in acidis coagulantibus, vità ſedentarià, diuturnis mœroribus, & vigiliis: ſtrangulantur uteri vaſa ſanguifera ab improviſo terrore, ab irà vehementi, à balneo aquæ frigidæ, ab odore ſuavi, & à flatibus nervoſas, & muſculares fibras tendentibus, ut in caſu Mulieris Hippocratis, & Puerperæ à me narratæ, utriuſque aquà frigidà curatæ.

Hydrope, præ ſanguinis multitudine, ac retentione Mulieres interdum laborare, novum non eſt praxim exercentibus, qui non diureticis, non idroticis, ſed ſolà & larga phlebotomià, quamprimùm, curari debet. Animoſam ſanè curationem in Muliere prægnante olim ſum aggreſſus, quam octavo menſe anaſarcà, & pulmonum hydrope obrutam inveni; pedes enim, crura, fœmora,

mora, manus, & facies miruminmodùm intumuerant; pallor aderat cadavericus, & ſpirandi maxima difficultas illam noctù, diùque extra lectum erectà cervice dormitare cogebat: audiens ego illam plurimis menſibus tempore gravidationis famelicam fuiſſe, & multum comedendo vitam ſedentariam tenuiſſe, abſque ullo tamen digeſtionis incommodo, aut cruditatis indicio, cogitavi, venas & arterias ſanguine turgidas, retardato circulo, ſeroſitates undequaque diffundere, unde intumeſcentia, & cruorem anguſtià craſſeſcentem ad minima cutis vaſa non intrudi, unde pallor cadavericus; quarè, nullà interpoſità morà, ſanguinem ad uncias quindecim detrahi juſſi, me præſente, & pulſum explorante, qui ſenſim extolli videbatur; nocte ſequenti quieta in lecto jacere potuit, & dormire, & manè alleviatam inveni: poſtridiè alteram ſanguinis libram detraxi, poſtquam paulatim detumeſcere cœpit, ut triduò, vel quatriduò omninò libera remanſerit, & menſe ſequenti Maſculum fœliciter ſit enixa.

Pauca hæc mentis acumen ad reliqua ſubtilius expendenda fortaſſe Tyronibus excitabunt; quod ſi aliquis numeroſas Authorum allegationes, utpotè moderno Scriptorum ſtylo non conformes, in hoc libello dedignetur, memoret velim, me non Doctioribus ſcribere, qui rationibus, & experimentis facilè ſuadentur, ſed rudioris Minervæ hominibus, qui ſolis authoritatibus expugnantur; memor enim ſum Peripatetici illius riſu dignæ per-

vi-

vicaciæ, referente Galileo, (b) qui, dum celeber Anatomicus nervos à cerebro, non à corde oriundos illi in publico Theatro demonſtraret, faſſus eſt rem adeo claram, & evidentem ſe conſpicere, ut, niſi Ariſtoteles contrarium ſcripſiſſet, ſententiam mutare cogeretur: tantæ molis eſt apud hebetiora ingenia præ mille rationibus, Præceptorum authoritas.

FINIS.

(b) *Galil. ſyſthema*

60